



BUAH

VILLO
OPERA


TONO . V

F.A.
347
CAS
(1726/8)

BUAH


Obra donación de la Asociación de Antiguos Alumnos a la Biblioteca de la Universidad de Alcalá.


En Alcalá de Henares, 2 de abril de 2001, siendo presidente de la Asociación D. Santiago Hierro Anibarro y tesorero D. José Manuel Chico Isidro.




Obra donación de la Asociación de Alumnos a la Biblioteca de la Universidad de Alcalá.

*En Alcalá de Henares, 2 de abril de 1911,
siendo presidente de la Asociación D. Sebastián
Hierro Anibarro y tesorero D. José Manuel
Isidro.*







D. JOANNIS

D. P.

CASTILLO


SOTOMAYOR

ADRIANO DE NOLA COMPLETENSIS

Magistri, Philosophi, Canonici, Juris, etc.

QUOTIDIANARUM
CONTROVERSARUM


TOMI QUINTI



PARACHON & CRAMER

AMSTERDAMI

BUAH



D. JOANNIS
DEL
CASTILLO
SOTOMAYOR

J.C. NOBILISSIMI; OLIM COMPLUTENSIS
Academiae Antecessoris Primarii; Postmodum in Gallaciano, Hispalensi, & Granatensi
Auditoriis, Regiisque Curiis, Successivè Senatoris Amplissimi; Demum in Supremo
Dominicae Rei, sive Patrimonii Regii Senatu Consiliarii praestantissimi;

QUOTIDIANARUM
CONTROVERSIARUM JURIS

TOMUS QUINTUS:

De la Libreria de D. J. Juan IN 2 UO. *Manuel de Hoyos y Ferrandis*

DE CONJECTURIS ET INTERPRETATIONE
ULTIMARUM VOLUNTATUM,

Tractatus continuatur.

OPUS REVERA PRAGMATICIS FORENSIBUS
*utilissimum, cum Summariis, & Indicibus, tum Capitum, tum Legum explicatarum, tum denique
materiarum, ad sublevandum Lectoris laborem, opportunis.*

NOVA EDITIO, AB INNUNERIS VETERIS PRAELI MENDIS EXPURGATA,
& Characterum varietate distinctis allegationibus non mediocri labore adornata,



COLONIAE ALLOBROGUM,
Sumptibus PERACHON & CRAMER.

M. DCCXXVI,

D. JOANNIS
DEI

CASTILLO

SOTOMAYOR

I. C. NOBILISSIMO OLIM COMITIS

Academiae Antiquarum, Historiae, Poeseos, Juris, & Mathematicae
Antiquae, Regiae, & Universitatis Complutensis, &
Dominicae, & de Praeside Regis, & de Praeside

QUOTIDIANARUM


CONTRORSIARUM

De M... ..

DE CONJECTURIS ET INFERENTIIS

OTUS REVERENDISSIMO

NOVAE...



COLONIAE ALIBEROGUM
SIMPSON PERACHON & CHAMBER

M. DCCLXXV

ARGUMENTA OMNIUM CAPITUM,

Quæ in hoc Tomo V. sive in hac priori Parte
Libri V. continentur;

*Sic absolutè composita, ut quilibet facillimo negotio, ea omnia assequi
valeat, quæ in unoquoque ipsorum peraguntur.*

CAP. LXII.



X destinatione
patris familias,
sive testatoris
cujuslibet, quæ-
admodum cõ-

jectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat in casu dubio, ut juridica ratione res discernantur, multis in casibus, qui occurrunt assidue; quanti etiam haberi, atque æstimari debeat testatoris destinatio, usus, & consuetudo circa fines, fundos, & prædia ipsa, ut pertinentiæ distinguantur, & plus, aut minus, vel quid in relicto comprehendatur, sive comprehensum censeatur, intelligatur; sive quàm verum sit vulgatum illud Interpretum nostrorum assumptum, Ex destinatione, & voluntate patris familias, non ex aliorum sententia prædia debere dijudicari. Rursus, an, & quando destinatio habeatur pro re perfecta, sive pro facto? ubi articulus hic destinationis apud Scribentes omnes valde involutus, nec hætenus absolutè explicatus, distinctiùs & accuratiùs, quàm antea factum esset, explicatus relinquatur, prout hic videbitur.

Denique infertur ad casum admodum præcticum, & in Regio Hispalensi Senatu hæc diebus definitum (quem egere declaratione, Tellus Fernand. profitetur) utrum scilicet spurius, & illegitimus filius transmittat ad hæredes Quintum bonorum, & de eo disponere possit.

Sive alimenta hodie an ita dari, sive relinquere debeant spuriiis, ut possint de proprietate bonorum in vita, seu in morte liberè disponere; & dubium hoc ab Interpretibus omnibus hujus Regni intricatè, & confusè peractum, singulariter & ita absolutè explanatur, ut controversia omnis cessare videatur. p. 1.

ADDITIO.

Atque ex dictis nunc deduci potest resolutio quæstionis illius, quam novissimè Petrus Fontanella *de pactis nuptialib. tom. 2. fol. 22. 23. & 24. & n. 121. cum sequentibus.* post Surdum, Franchum, Peregrinum, Thesaurum, Raudensem, Barbosam, Cancerrum & Farinacium excitavit; an scilicet dos, quæ datur filiabus spuriiis, & illegitimis, redeat ad patrem, sive ejus hæredes; an verò ad hæredes ipsius, ea mortua; & verè, ubi aliter conventum, specificève cautum non fuerit, sed simpliciter in aliqua re, aut quantitate dos constituta; ea observari debebunt, quæ *hoc cap.* annotantur. Et quicquid in alimentis (attenta eorum natura) alia ratio militare videatur, in dote tamen simpliciter constituta, diversum jus, ac in favorem spurie filie, & hæredum ejus urget; juxta ea tamen, quæ *hoc ipso cap.* tradidimus: de quibus etiam vide Joannem Baptistam Valençuelam Velazquez *in consil. 10.* qui nonnulla in proposito scripsit; nihil tamen attigit ex his, quæ hoc loco à me distinguuntur, atque proferuntur. In *commentariis* etiam, sive *tractatu de alimentis, nunc primùm Lugduni edito*, latiore egometipse hujusce articuli resolutionem proponam.

CAP. LXIII. Ex verisimili, aut verisimilitudine, conjectura & præsumptio quæ sumitur, quanti haberi atque æstimari debeat, sive quam efficax sit ad ultimarum voluntatum, & testamentariæ non modò, sed cujuslibet etiam alterius dispositionis interpretationem: ubi Verisimilium in jure efficacia, & effectus in omni actu, & materia, quamplurimis exornatur, atque comprobatur, prout hic videbitur.

Inquiritur etiam, utrum substitutio vulgaris in casum voluntatis concepta, ex verisimili testatoris voluntate trahatur, sive extendatur.

INDEX CAPITUM

tendatur ad casum impotentiae, & è converso; an etiam generaliter id admittatur, non modò in institutione, & substitutione hæredis directa, sed etiam in fideicommissaria dispositione quacumque, ut de casu ad casum, & de persona ad personam extensio admittatur, si eadem ratio, & verisimilis mens testatoris ita suadeat; & inferitur ad *consilium* Oldradi 177. an posthumus, qui non est natus, possit dici sine liberis decessisse, ut conditio deficere, aut potius existere videatur; & Petri Surdi *consil.* 236. *per totum*, lib. 2. in proposito egregium admodum, & notandum expenditur, & commendatur. p. 23.

CAP. LXIV. Ex eadem *capitis* precedentis materia, & axiomate, sive pronuntiato metipso à Verisimili, sive Verisimilitudine deducto, ex quo ad casum admodum practicum, nec hæctenus dilucidè satis, aut ex proposito explanatum, inferitur; utrum, inquam, gravamen, ex legitima filij rejiciatur, etiam si filio aliquid ultra legitimam relictum sit; sive in Tertio, aut in Tertio & residuo simul Quinti melioratus filius fuerit, in residuo verò, sive in Tertio & Quinto sustineatur; & casus, hisce diebus, in Senatu Regio Hispalensi occurrens ex facto, commemoratur; patris scilicet meliorantis filium sub conditione, ut tertia & quinta bonorum suorum pars, & legitima simul filij perveniret jure primogenij ad posteros, sicque cum Tertio & Quinto vinculata, in perpetuum maneret; tunc autem controvertebatur, si filius conditioni parere noluerit respectu legitimæ, an nihilominus melioratio ad eum pertineat; Senatus ejusdem, in favorem filij meliorati, definitio admodum egregia, & notanda proponitur, *l. quoniam in prioribus*, *l. sci-mus*, §, *cum autem*, *C. de inoffici. testam.* l. 11. tit. 4. p. 6. & l. 17. *Tauri* constitutiones, singulariter elucidantur, & declarantur, & articulus præsens accuratè, & notanter explicatus relinquitur. Et vide *infra* cap. 79. & 107. p. 34.

CAP. LXV. Bona majoratus, utrum possint ad longum tempus locari, aut in emphyteusim concedi, si ita concessa fuerint, aut etiam vendita absque facultate Regia, & ab emptore, aut conductore, vel emphyteuta, melioramenta necessaria, aut etiam utilia, vel voluptuaria, bona fide facta, an pro expensis, & melioramentis possint ab eo retineri, ut ex retentione impediatur possessionis translatio, ex *decif. l. 45. Taur.* in favorem veri successoris majoratus inducta; vel saltem emptor ipse, aut alio titulo possidens, qui bona fide in ædificando expendit, recuperet expensas, & meliora-

menta à successore majoratus rem evincente; atque ita *l. Taur.* 46. decisio, utrum procedat respectu cujuslibet Tertij bona fide expendentis, & melioramenta facientis, sicut majoratus ipsius possessoris, & an respectu creditoris, qui pro rebus majoratus reficiendis, pecuniam mutuavit; ubi ejusdem legis 46. constitutio, expensarum etiam (quæ vulgò meliorationes vocantur) tam in bonis liberis, quàm majoratus factarum materia, singulariter & utiliter explicatur; Senatus Hispalensis insignis admodum, & in casu ex facto occurrenti, egregia proponitur definitio; ubi etiam à Verisimili, & præsumpta mente testatoris, sive à Verisimilitudine axioma illud, *capitibus precedentibus* deductum, pro utraque parte expenditur opportunè, & articulus prædictus, emptoris scilicet, vel alterius, bona fide expendentis; aut creditoris, in refectioem mutantis; & pro melioramentis, in rebus majoratus factis, agentis; ingenti studio, & diligentia non modò, sed etiam memorabili, atque notanda resolutione, & distinctione explanatur. Et peracta definitione Senatus præfata, duodecim præcipuè casus separantur, atque in proposito considerantur per Authorem, ex *n. 93*, quibus diversæ, & contrariæ etiam Interpretum omnium sententiæ circumseribuntur, & elucidantur; prout hic videbitur. pag. 52.

A D D I T I O.

De materia *hujus capitis*, & de impensis, aut meliorationibus factis in rebus alienis, à bonæ fidei, sive malæ fidei possessore, aut alio quocumque; & quando pro melioramentis in re aliena factis detur retentio; vide etiam Antonium Fabrum, *de erroribus pragmatic.* tom. 2. *decad.* 26. *errore* 8. & 9. & 10. *ex fol.* 40. & 41 Aloysium Riccium, *collectanea* 150. *fol. mihi* 69. Steph. Gratian. *disceptat. forens.* tom. 1. *cap.* 21. *num.* 24. & 34. *latius cap.* 193. *per tot.* *ex fol.* 559. ubi de meliorante rem subjectam fideicommissò, & de hærede, aut fideicommissario expendente. Et possessor bonæ fidei, quo casu compenset fructus cum melioramentis. Et denuntiatio de non meliorando quando operetur. Vide etiam eundem Authorem, *tom.* 3. *cap.* 437. *per tot.* ubi latè de picturis, & expensis voluptuariis; & *cap.* 442. *num.* 26. 27. & 28. ubi de inquilino, colono, commodatario, & similibus: Et *c.* 452. *num.* 22. Vide etiam Gabr. Pereir. de Castro, *decif. Portugaliæ* 121. *per tot.* ubi an melioramenta facta in rebus majoratus

I N D E X C A P I T U M.

tus ab omni possessore peti possint: Joseph. de Sesse *decisio*. 410. *per tot.* D. Francisc. Hieronymus de Leon. *decis. Valentia Audientia* 79. *per totam*, ubi tradit nonnulla in materia; & explicat, an melioramentorum, in re specialiter censui hypothecata, retentionem pretendere possit illius possessor, ad excludendam executionem, contra eum petitam. Vide etiam eundem Authorem, *decisione* 98. *per totam*, ubi latius de materia; & de quaestione illa, an possessor bonæ fidei condemnatus restituere rem cum fructibus, à die motæ litis, teneatur restituere fructus meliorationum, an verò fructus tantum secundum antiquum rei statum. Vide etiam Joannem Antonium Bellon. *in consil.* 76. *ex numero* 46. *cum sequentib.* Pelaez à Mierez *de majoratu*, 4. *part. quest.* 32. *in nova editione*, fol. 289. ubi agit de omnibus superius dictis. Et commendo Marium Giurbam *ad consuetudines Messanen.* cap. 15. *glos.* 7. & *sequent. part.* 1. *ex fol.* 760. *usque ad fol.* 791. ubi longa serie explicat materiam, & agit de impensis necessariis, & de utilibus, & de voluptuariis; & de onerosis, & nimium excessivis; & de omnibus, quæ ad hanc rem spectant. Vide etiam eundem *decis. Sicilia* 63. *per tot.* ubi, an & quando conductori retentio competat pro melioramentis; & an ea uti possit adversus locatoris creditorem, & an melioramenta aestimari debeant in fine locationis. Vide etiam Andr. Molfesium, *ad consuet. Neapolit.* part. 3. *quest.* 19 & *part.* 7. *quest.* 16. *numero* 18. & *part.* 5. *quest.* 6. *num.* 22. & 23.

CAP. LXVI. Sub *filiorum* nomine, vocatione, seu mentione, in hominum dispositionibus facta, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat, ut sub ea, filiorumque appellatione, nepotes contineri, & includi in testamentis, & ultimis voluntatibus, sive non contineri dicantur; ubi articulus hic, adeo tritus, & vulgatus, ut per manus circumferatur quotidie, ad conjecturas, & præsumptiones reducitur, & diversimodè explanatur, prout hic videbitur. Et vide novissimè Jacobum Gallum *in consil.* 65. *per totum.*

Filiorum etiam appellatione, an, & quando veniant filiar, sicque masculinum in omni actu, & materia comprehendat foemininum, latè etiam explicatur; & articulus uterque, proluxa, originalique hucusque Scribentium omnium resolutione exornatur.

Denique infertur ad quaestiones 14. quarum decisio, ex resolutione propositæ quaestio-

nis (an filiorum appellatione nepotes continentur) dependet: & cæteris omissis, illa agitatur accuratè, & dilucidè, nunquid pacto simplici de non meliorando filios, sive quemquam ex filiis, interveniente, nepotes, vel descendentes meliorari possint? In qua (ut videbis) legum hujus Regni Interpretes diversimodè se habuisse videntur.

p. 91.

CAP. LXVII. Ex dispositione, in favorem consanguineorum, aut eorum, qui ex familia, aut genere disponentis processerint, facta simpliciter, vel per electionem, aut executionem, seu distributionem alteri datam, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat, ut proximior dumtaxat, an etiam remotior aliquando consanguineus admitti, & succedere debeat; vel ex libera voluntate totum pendere, vel non, præsumatur: Et an valeat electio de digno, omissio digniori, in utroque foro. Legatum etiam relictum pauperibus, de quibus intelligatur. Et de his omnibus vide Antonium Fabrum, *de erroribus pragmaticor.* tom. 5. *decad.* 53. & 54. *ex fol.* 44. *usque ad fol.* 98. ubi totam materiam longa serie explicat Sesse *decis.* 436. & 337. Caldas Periera 3. *part. de potestate eligendi, & nominationis revocatione*, cap. 16. *per totum*, Eundem *consil.* 38. *per totum*, Marium Giurbam *ad consuetud. Senat. Messanen.* cap. 2. *gl.* 9. *part.* 1. *ex fol.* 231. Petrum Surdum *in consil.* 29. *ex num.* 3. *usque ad num.* 14. *lib.* 1. Joannem Baptistam Valenquelem Velazquez *in consil.* 40. *ex num.* 42. de eisdem etiam, & de digno, aut digniori, vide Stephanum Gratianum *tom.* 2. *cap.* 211. *ex fol.* 39. & *cap.* 210. vide etiam D. Garciam Mastrillum, *decis.* 206. *per totam*, Simon de Prætis *lib.* 5. *interpret.* 1. *dub.* 2. *ex fol.* 448.

Rursus, consanguinei testatoris, seu qui sunt de ejus parentela, genere seu familia, cum ad Capellaniam, seu opus pium, vel etiam ad majoratum vocantur, utrùm filij naturales, & spurij etiam, seu illegitimi, atque descendentes ex illis vocati censeantur: Quid etiam, si ex duobus consanguineis, in eodem gradu existentibus, alter sit duplici consanguinitatis nexu testatori conjunctus. Et de filiis naturalibus, vide latius *inf. c.* 82. Ubi etiam, majoratus, seu Capellania fundata inter maritum & uxorem, de bonis utriusque; ad quem eorum consanguineum pertinere debeat, data paritate consanguinitatis, nec ordine succedendi designato. Et Senatus Hispalensis, in propositis dubiis, definitiones quatuor commemorantur, Graduum quoque computatio quemadmo-

I N D E X C A P I T U M

dum fieri debeat, an secundum Canones, vel secundum leges. Et vide Petrum Surdum *in conf.* 568. *num.* 13. *lib.* 4. Stephanum Gratianum *tom.* 1. *cap.* 77. *ex fol.* 213. *decif.* Valentia 4. *num.* 28. & 29.

Sed & consanguinitas qualiter probari debeat, cum consanguinei simpliciter, vel consanguinei proximiores vocantur. Vide Petrum Surdum *in conf.* 5. *num.* 6. & n. 34. & *seq. lib.* 1.

Post peractum etiam, scriptumque caput istud, casus nonnulli ex facto occurrunt, qui cum assiduam, & quotidianam materiam contineant, ingenti studio & diligentia, ad examen & disputationem redacti fuere & ideo hic traduntur, quod à conjecturis quoque dependeant omnino; utrum videlicet promissio facta causam matrimonij, de melioratione Tertij & Quinti, titulo majoratæ, vel de majoratu, cum facultate Regia, vel absque illa ex consensu filij, ultra Tertium & Quintum instituendo, mortuo parente, vel filio, antequam majoratus institueretur, & fieret, ac si facta fuisset reputetur; sicque an decisio *leg.* 22. *Tauri*, procedat etiam in promissione de majoratu cum facultate Regia instituendo ultra Tertium & Quintum? Regulariter etiam, an promissio de aliquo dando, vel faciendo, pro facto ipso, seu obligatione habeatur.

Deinde, consensus filij super onere, vinculis, & gravaminibus, in legitima appositis, vel ejus renunciatio, utrum noceat filiis, necne?

Restitutio in integrum an concedenda sit hæredi minoris defuncti.

Præterea, facultas Regia num concedi valeat, ut in persona filij unici primogenium instituat, idque etiam in præjudicium juris, alteri quesiti; & an Princeps tollere valeat jus in spe tantum quæsitum.

Denique, confirmatio majoratus, absque Regia licentia facti, utrum valeat, si post mortem institutoris ejusdem concedatur.

Et quid si institutor, in ipsius majoratus institutione petiit à Principe, ut ipsum confirmaret. p. 107

CAP. LXVIII. Adduntur, atque adnotantur nonnulla circa ea, quæ *cap.* 5. *hujus tractatus*, *ex numero* 15. *usque ad num.* 48. scripta fuere, utrum videlicet donatione facta alicui, & filiis suis, sive ut bona, quæ donantur, remaneant sibi, & filiis suis, possit donatarius in bonis donatis aliquem ex filiis meliorare, vel an debeant bona ipsa æqualiter filiis omnibus remanere; & Senatus Hispalensis definitio, de qua *ibi*, Petri Surdi placitis, & resolutionibus, *in consil.* 29. *per totum*

lib. 1. comprobatur, atque defenditur; Fontanellæ etiam contraria sententia expenditur, prout hic videbitur. p. 140.

CAP. LXIX. In eadem *cap.* 8. & 9. *hujus tractatus* materia, & quæstione illa, an, & quando fideicommissa ex sola voluntate, etiam absque verbis dispositivis, sive expressis atque ita ex solis conjecturis subsistant, & inducantur, ut juridicè dici valeat, testatorem voluisse fideicommissi onere gravare heredem à se institutum; unde etiam debeant conjecturæ hæc deduci, an ex dispositione testatoris scripta, sicque ex expressis; vel sufficiat aliò desumere, & ab his, quæ in sua ipsa dispositione scripta non fuere. Et vide novissimè Jacobum Gallum, *conf.* 44. & 45.

Rursus ut fideicommissum conjecturis præsumatur inductum, testes singulares sufficiant.

An etiam confessione sola gravati, etiam extrajudiciali, fideicommissum tacitum probetur.

Et confessio extrajudicialis num testibus singularibus, in eundem finem tendentibus, probari valeat. Et de confessione extrajudiciali facta præsentem, vel absentem partem, & quando illa geminatur

Ubi ad ea, quæ *præcit. cap.* 8. & 9. *tom.* 4. tradita fuere, adduntur nonnulla admodum utilia, & apud Pragmaticos assidua: & in casu ex facto occurrenti, Authoris sententia & definitio commemoratur. p. 142.

CAP. LXX. Pro absoluta, & accurata *Taurine l.* 25. explicatione, iterum Author magis insistit, & nonnulla in medium profert, quæ novè adduntur dictis *sup. cap.* 16. & diligentius nunc examinatur. Omissisque casibus duobus, an scilicet, Tertium, & Quintum deducatur ex dotibus, & donationibus propter nuptias, aliisque donationibus, ante meliorationem ipsam factis; an etiam lex illa procedat, sive eidem filio, cui antea donatum est, sive alteri melioratio postmodum fiat (qui ex ipsamet lege claram habent, & certam definitionem) ad tertium alium casum (ab omnibus hucusque Interpretibus prætermisum) disceptatio tota reducitur, quando scilicet, nulla donatione præcedente, filius in Tertio & Quinto melioratur, & eidem à parentibus aliqua quantitas, sive pars tradita sit, à *quænta de la misma mejora*; an ex ipsa parte, vel quantitate tradita, Tertium deducatur vel non: atque ita num *Taurina eadem l.* 25. constitutio, quæ in dotibus, & donationibus propter nuptias, aliisque donationibus loquitur, procedat etiam in ipsa melioratione, sive in tradito *por quænta y parte de pago de la mejora*. p. 147.

CAP.

INDEX CAPITUM.

CAP. LXXI. Continet additiones duntaxat circa ea, quæ dicta sunt *suprà hoc eodem tractatu*, cap. 21. num. 89. in fine, utrùm scilicet præsumatur testamentum fuisse lectum, necne, & onus id probandi cui incumbat; nam altera quæstio, num legi testamentum necessariò requiratur, latè explanatur *eodem cap. 21. ex num. 87. cum multis sequentibus, usque in finem cap.* nunc etiam eadem quæstio, quorundam interpretum sententiis exornatur, de quibus ibi commemoratio facta non fuit. pag. 152.

CAP. LXXII. Duntaxat continet additiones circa ea, quæ *suprà hoc eodem tractatu cap. 22.* scripta, atque adnotata fuere; & maximè circa id, utrùm scilicet furoris præsumptio excludatur per assertionem Notarij dicentis, testatorem fuisse sanæ mentis. Ex quibus etiam conjecturis, & præsumptionibus testamentum factum præsumatur non liberè, sed potius dolo, aut importunis precibus, & illicitis persuasioneibus, dolosisque suggestionibus; ubi & quamplurimæ recensentur conjecturæ, ex quibus dolus, & suggestio arguitur in proposito. Denique circa articulum legitimisationis, num scilicet legitimatio limitata in successione ad voluntatem parentis, sit legitimatio, vel dispensatio, ut filius legitimatus contra voluntatem parentis aliquid consequatur, necne; iterum Author insistit, & summa distinctione, atque resolutione, memorabiliter etiam explicat.

Inquirit etiam, an legatum factum consanguineo pauperi censeatur intuitu pietatis, vel potius ratione consanguinitatis relictum. pag. 153

CAP. LXXIII. Continet additiones nonnullas satis utiles ad ea, quæ *suprà hoc eodem tractatu*, cap. 27. ingenti equidem studio, & diligentia adnotata, atque scripta fuere in eo dubio, an scilicet, & quando testamentum ad alterius interrogationem, factum de jure subsistat, necne, & Andr. Fachinci, Gerardi Mainardi, Antonij Thesauri, & Surdi placita quædam in proposito explicantur, Senatúsque Hispalensis in casu ex facto occurrenti definitio commemoratur, ac demum Antonij Fabri egregij admodum, atque insignis Jurisconsulti observationes quædam, contra communes Scribentium sententias in medium proferuntur, & adhuc communes ipsæ sententiæ probantur. p. 160

CAP. LXXIV. Ex his quæ tractantur, & non perficiuntur, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat in testamentis, & ultimis voluntatibus; & quàm verum sit in omni actu,

materia, & dispositione non tractatum, sed conclusionem attendi debere; cum multa tractentur, quæ ad conclusionem, & finalem effectum non veniunt: & Jacobi Menochij in hoc proposito calus quinque considerati, atque distincti, & nonnulla in praxi satis utilia commemorata. p. 165

CAP. LXXV. Duntaxat conficitur, ut in eo dubio an filij legitimati per subsequens matrimonium, admittantur ad fideicommissa, & primogenia, ad quæ filij legitimi ex legitimo matrimonio nati vocantur; & dictis *suprà, hoc eodem tractatu*, cap. 51. adderetur Josephi de Rusticis, ad l. cum avus, ff. de conditionibus & demonstrationibus, lib. 2. cap. 16. ex nu. 126. cum infinitis sequentibus; copiosus admodum, & notandus locus, prout hic videbitur: Alius etiam, Joann. Baptist. Lupi, & Joann. Montealegre, ubi longa serie scripserunt. pag. 167.

CAP. LXXVI. Continet duntaxat dubium unum, utrùm scilicet pater, qui ex causa onerosa matrimonij promisit filium meliorare, possit uti beneficio, & dispositione l. 27. Tauri, ut juxta ordinem ibi præscriptum, substitutiones, vocationes, & submissiones adjiciat; prout hic explicatur. pag. 169.

CAP. LXXVII. Continet notabilem admodum, atque egregiam declarationem eorum, quæ *suprà, hoc eodem tractatu*, c. 59. num. 30. & quatuor sequentibus, tradita fuere remissivè, utrùm scilicet per cessionem, aut per dationem in solutum nominis debitoris sui, maneat quis liberatus, necne, & periculum nominis cessi ad quem spectet; ad cedentem, vel cessionarium? indèque, & consequenter, an novatio inducatur per delegationem, sive interventu novæ personæ, tam de jure communi, quàm de jure Regio, idque ad dilucidam explicationem leg. 15. tit. 14. part. 5. de qua adeò accuratè, atque eleganter agitur, prout hic videbitur, & insignis, atque memorabilis resolutio, & explanatio traditur. p. 171

CAP. LXXVIII. Continet duntaxat additiones nonnullas ad ea, de quibus *suprà, hoc eodem tractatu*, cap. 61. ex num. 54. cum multis sequentibus, pecuniæ scilicet revocationem utrùm habeat anterior creditor adversus posteriorem creditorem, cui pecunia per debitorem soluta fuit, idque ad interpretationem legis pecunia, c. de privilegio fisci, de qua egregiè admodum ibi actum per Authorem.

Nunc verò Marefcoti, Alexand. Ambrosini, Stephani Gratiani, Antonij Thesauri, Josephi de Sesse, Joann. Baptist. Valençuela Velazquez,

INDEX CAPITUM

- Velazquez, Petri Fontanellæ, Costæ, Mazerati, & Ignatij del Villar placita nonnulla, post peractum, & scriptum caput illud, ab eodem Authore habita, & perlecta adduntur, & in medium proferuntur, prout hic videbitur. p. 184
- CAP. LXXIX. Continet additiones ad ea, quæ *suprà*, hoc eodem tractatu, cap. 64. tradita fuere, & scripta? utrùm videlicet gravamen ex legitima filij rejiciatur, etiamsi filio aliquid ultra legitimam relictum fuerit, sive in Tertio, & remanente Quinti melioratus filius fuerit sub conditione, ut legitimam ipsam habeat vinculatam, si conditioni ipsi respectu legitimæ parere noluerit, prout *ibi*, & *hic*, explicatur. p. 187
- CAP. LXXX. Circa ea, quæ *suprà*, hoc eodem tractatu, cap. 37. & cap. 67. scripta, & resoluta fuere, traduntur quoque nunc, atque adnotantur nonnulla in eodubio, utrùm videlicet donatio inter vivos acceptationem requirat donatarij, ut revocari non possit: eaque necessaria etiam sit, attenta leg. *Ordinamenti*. Rursus (quod attinet ad facultatem eligendi alicui concessam, sive successionem ex jure electionis introductam) num scilicet possit is, cui eligendi, aut nominandi facultas ex testamento, vel ex contractu competit, variare, sicque post priorem electionem, aut nominationem aliam facere. An denique, secundo nominatus, cui res est tradita verè, vel fictè & per clausulam Constituti, primo nominato præferatur, cui res tradita non fuit, & de effectu clausulæ Constituti, in proposito leg. *quoties*, C. de rei vindicatione. Pacti etiam de non alienando cum hypotheca speciali ejus rei, quæ alienari prohibetur, ad leg. *si creditor*, §. *fin.* ff. de distractione pignorum. An denique, leg. ejusdem *quoties*, decisio non procedat, cum intervenit hypotheca sola, aut bonorum omnium pro observantia contractus absque pacto de non alienando obligatio? singularis equidem, & in praxi summè utilis, & necessaria resolutio, atque explanatio, qua Senatus Hispalensis in casu ex facto occurrenti definitio, non modò egregiè comprobatur, sed ingenti etiam studio, & diligentia Authoris defenditur. p. 190.
- Et vide in *Additione*, utrùm majoratus fiat irrevocabilis ex pacto de non revocando? ubi memorabilis traditur explanatio, & resolutio. p. 203.
- CAP. LXXXI. Continet additiones ad ea, quæ *suprà*, hoc eodem tractatu, cap. 10. per totum, scripta, & dilucidè admòdum explicata fuere, quod semper in dubiis, & in ambiguo: & nunquam in claris locus sit conjecturis, aut interpretationi: quando etiam à propria verborum significatione recedere liceat in testamentis; si manifestè appareat, testatorem aliud sensisse. Indèque infertur ultra *ibi* dicta ad casum, ex facto occurrentem, & in Regio Hispalensi Senatu definitum, utrùm videlicet legatum relictum consanguineis mulieribus familiæ, sive generis testatoris, quæ contraxerint matrimonium, vel sumpserint statum Religionis, debeatur consanguineis Tertij Ordinis sancti Francisci, & sancti Dominici, sive sororibus Carmelitanis, vulgò *Beatas*, aut alterius cujuscunque Ordinis, sive Religionis, quæ in particulari, & non in communi vixerint? & in sæculo remanserint; ubi articulus ille, an fratres, & sorores cujuslibet Religionis, quæ solemniter non profitentur, & in sæculo remanent, dicantur necne Religiosi? accuratè, & singulariter explanatur. Et vide etiam *infra*, cap. 90. num. 51. cum duobus seqq. p. 205.
- CAP. LXXXII. Ex verbis, quæ personis, fideicommissi, aut primogenij causam prætentibus; vel rebus, de quibus agitur, convenire, vel non convenire contenditur, quemadmodum voluntatis, intentionisve testatoris conjectura deduci, atque interpretatio fieri valeat, ubi vulgata illa, & per manus tradita quotidie Interpretum omnium Axiomata, unum affirmativum; Verba cui conveniunt; & legis, aut testatoris convenit dispositio, Aliud negativum, Verba cui non conveniunt, nec convenit dispositio: exornantur permultis. Et infertur ad quæstionem assiduè occurrentem, verbum scilicet *filij*, aut *liberis*, vel *descendentibus*, simpliciter prolatum an scilicet solis legitimis, an etiam naturalibus filiis, seu descendentibus convenire dicatur. Inde, & consequenter, utrùm filius naturalis excludat substitutum sub conditione, *si institutus sine liberis decesserit*. An etiam in majoratu succedat, in quo filij simpliciter ad ejus successionem vocantur. Ubi articulus hic ingenti studio, & summa diligentia peragitur, atque absolvitur. p. 211.
- CAP. LXXXIII. Ex verbis testamenti, sive ultimæ dispositionis cujuslibet, quæ aliquid præsupponunt, sive à præsupposito, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri valeat, & quam verum sit; quod ubi dispositio

I N D E X C A P I T U M.

finitio unum continet, & aliud præsupponit, non habet locum dispositio, nisi verificetur præsuppositum, An etiam, & quando verba supponentia disponant, brevis & dilucida explanatio. p. 237.

CAP. LXXXIV. Ex personis, sive personarum qualitate, tam disponentis, quam ejus, aut eorum, in quorum favorem dispositio confertur, quemadmodum conjectura deduci, atque interpretatio fieri valeat, non modò in testamentis, sed etiam in alia dispositione quacunque. Ubi etiam de dignitate, aut conditione testatoris, de affectione, charitate, dilectione, consanguinitate, conjunctione, amicitia, aut benevolentia ejusdem circa honoratum, vel oneratum.

Et vulgatissima illa Interpretum omnium Axiomata, quæ per manus traduntur quotidie, quod verba intelligi debent secundum qualitatem personæ, erga quam proferuntur; ad *l. plenum, §. equitij, ff. de usu & habitatione*: & quòd testatoris qualitas, affectio, consanguinitas, & necessitudo ipsius plurimùm facit ad conjecturandam voluntatem, ut concessio sive dispositio intelligi debeat secundum qualitatem, & affectionem personæ concedentis, aut disponentis; ad *l. si servus plurimum, §. ult. ff. de legat. 1.* exornantur permultis.

Deinde, quàm verum sit, quòd in ultimis voluntatibus, & cæteris dispositionibus inspicere debeat principaliter persona, cujus contemplatione facta fuit dispositio.

Argumentum quoque, sive conjectura à magis dilectis ad minus dilectos, ut minus dilectus non præferatur, an, & quando procedat, vel non.

De remotioribus etiam circa proximiores, & eorundem exclusionem, proximioribus à testatore exclusis, vel etiam aliquando admisione.

Ac denique de conjectura altera, circa tam natos, & cognitos, ad non natos, & incognitos, & majori affectione inter ipsos; atque ex his, ad resolutionem, atque explicationem quorundam infertur: prout hic videbitur.

Ad alterum denique dubium, an legatum, pro dotandis, seu maritandis mulieribus pauperibus, mulieres viduas comprehendat? & ultra relatos hic, vide etiam D. Perez de Lar. *de Capellaniis & anniversarijs, lib. 1. cap. 21. num. 88. fol. 224. pag. 240.*

CAP. LXXXV. Ex qualitate rerum, de quibus agitur, aut super quibus dispositio fit, quemadmodum conjectura voluntatis colligi, atque in casu dubio interpretari. *Jo. del Castillo, Quotid. Contr. Jur. Tom. V.*

tatio fieri valeat, & quàm vera, & propria sit regula interpretandi testantium, & aliorum dispositiones, quæ ex qualitate, natura, & affectione rei deducitur.

Rursus, quemadmodum minor restituatur ex affectione rei, qui aliàs non restitueretur, ad *l. si in emptionem, ff. de minoribus.*

Denique, prohibitio testatoris de non alienando, quæ regulariter nulla causa adjuncta, non valet, quemadmodum ex qualitate rei vestitur, ad *Gloss. in l. quoties C. de fideicommiss.* p. 251.

CAP. LXXXVI. Ex natura actus, qui geritur, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri valeat, ut non modò in testamentis, & ultimis voluntatibus, sed etiam in alia dispositione quacunque actus, vel contractus, de quo disponitur, præsumatur gestus secundum ejus propriam naturam; & verba in dubio sic accipiantur, ut rei, cui deserviunt, naturæ convenient; idque etiam si improprietur, vel reddantur inutilia, & quantumvis sint præcisà, quinimò universalìa, ut adhuc restringantur ad ea, quæ sunt de natura actus.

Ex quo ad multa infertur, quæ assidue occurrunt apud Pragmaticos, & admodum necessaria sunt. p. 254.

CAP. LXXXVII. Ex ratione subjectæ materiæ, sive secundum materiam subjectam, quemadmodum testamenta, ultimæ voluntates, & aliæ dispositiones quacunque, conjecturam, declarationem, atque interpretationem recipiant; Ubi vulgatissimum Interpretum omnium Axioma illud, Verba in quacunque dispositione intelligi debere secundum subjectam materiam; exornatur.

Et articulus ille, Electionis facultas per institutorem majoratus primo nominato concessa, utrùm repetita censeatur, ita quod succedatur semper per viam electionis: & eligendi facultas ad omnes successores porrigatur; an verò in primo successore extinguatur? ingenti quidem studio, & diligentia, aliter etiam, & accuratè magis quàm hactenus factum fuisset; enucleatus, atque explanatus relinquitur. p. 264.

CAP. LXXXVIII. Argumentum à contrario sensu, an, & quando validè, & juridicè deduci possit; & num ex conjectura, & ex mente proveniat; & in omni dispositione, tam legis, quàm hominis; sive in omni actu, materia, & dispositione procedat, & pro interpretanda, atque conjecturanda ultima voluntate quacunque plurimùm valeat; sive qualem in casu dubio conjecturam præbeat, quanti-

¶ ¶ que

I N D E X C A P I T U M.

- que æstimari debeat; brevis, & dilucida explanatio, atque resolutio p.272.
- CAP. LXXXIX. Ex verbis dispositionis cujuslibet, sive ex dispositionibus ipsis, & ultimis voluntatibus, quæ habent tractum successivum de futuro necessarium, vel non successivum, sed momentaneum duntaxat, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio congrua fieri debeat.
- Et an sufficiat, conditionem momento temporis impleri, licet implemetum non duret.
- Sive attendi debeat principium primæ existentia, & postea non curemus ejus successum; an verò, quando perseverantia requiratur, Oldradi *consilium* 21. *Thema tale est*, quod deficiat conditio, *si sine liberis decesserit*, gravato cum liberis decedente, quicquid postea de ipsis liberis contingat, & quamvis iidem liberi per momentum supervixerint; & statim decesserint sine liberis, latissimè comprobatur, exornatur, atque limitatur; & conjecturæ quamplures, ex quibus procedere dictum consilium, enunciatur quotidie, diligentissimè recensentur, atque ad examen reducuntur.
- Deinde, clausulæ Regis Henrici Secundi (quæ pro lege servari mandatur *in l. 11. titul. 7. lib. 5. novæ collect. Reg.*) intellectus accuratè discutitur, & circa ejus interpretationem ingenti studio, summâque diligentia adnotantur, atque observantur quamplurima, prout hic videbitur.
- An scilicet, bona à Rege ipso Henrico donata, deferantur in perpetuum titulo majoratus, non solum ad filios primogenitos primi donatarii, sed & omnium successorem in infinitum.
- An etiam ad fratres legitimos ultimi possessoris, qui à primo donatario descendunt, quando ultimus ipse possessor absque liberis, & descendentibus mortuus est.
- Filiæ quoque foeminae legitimæ ultimi possessoris, an succedant, si decedat filius masculus legitimus.
- Ultimus majoratus possessor, an possit ordinem clausulæ dicti Regis aliquo modo alterare, aut filium natu majorem præferre filio masculo ætate minori.
- Res subrogata in locum bonorum donatorum à Rege ipso, an fortietur illorum naturam.
- Rursus, an possit Princeps alienare, & etiam donare ex causa remunerationis servitorum, civitatem aliquam, vel oppidum, vel castrum, dummodò non sit magni detrimeti Principatus, & ditionis suæ.
- Donatio etiam, seu privilegium ob benemerita, & servitia, an possit revocari, seu ex post facto modificari à Principe concedente, vel ab ejus Successoribus.
- Præterea clausula Regis ejusdem Henrici, an procedat indistinctè in omnibus donationibus, quæ ab eo processerunt, etiam in his, quæ ex causa remunerationis servitorum maximorum, & notabilium factæ sunt.
- Exemplis, an, & quando judicandum sit. Et vide Valençuelam Velazquez, *conf. 69. ex num. 213. cum seq.*
- Et decisionibus causarum in similibus, jura quantum detulerint; Vide Valençuelam, *ibidem.*
- Donatio in dubio, an præsumatur, vel alia potius conjectura, atque interpretatio sumi debeat.
- Ex donatione Regis Henrici, qui asserit, alium possidere bona aliqua, an id probare teneatur; nec præsumantur bona in dubio à Rege ipso donata.
- Clausula Regis ejusdem, & dispositio *l. 11. titulo 7. lib. 5. novæ collect. Reg.* an procedat duntaxat in donationibus bonorum Regiæ Coronæ, & non in contractibus onerosis.
- Princeps in contractibus onerosis, an ut privatus reputetur, ex illisque efficaciter obligetur.
- Clausula metipsa Regis Henrici, an habeat locum, cum Rex idem venditioni bonorum eorum, quæ donaverat, consentiret.
- Bona ex donatione Regis ejusdem, si vendantur cum facultate Regia, utrum ad emptorem cum sua causa, & qualitate transeant.
- Per divisionem bonorum inter cohæredes factam, an, & quando præsumatur remissum jus fideicommissi.
- Clausula ipsa, & dispositio *dictæ l. 11.* an comprehendat, non modo donatarios ipsos, cum quibus loquitur; sed etiam tertios possessores, qui ante legem eam, & clausulam conditam, titulo oneroso possidebant bona, quæ Rex ipse Henricus donaverat.
- An etiam referatur ad donationes, quæ tempore modificationis erant jam majoratus, sive majoratus titulo possidebantur.
- Dispositio generalis, an & quando referatur ad casus specialiter provisos.
- Clausula eadem an procedat in donationibus juratis, quas Rex ipse cum juramento servare promisit.
- Ubi etiam de vi, & effectu juramenti traduntur nonnulla.
- An quoque procedat clausula ipsa in donationibus, quæ cum à Rege ipso Henrico processissent,

INDEX CAPITUM.

- processissent, fuerunt postmodum ab ejus Successoribus confirmatae.
- Annalibus Hispaniae, à fide dignis Scriptoribus conscriptis, sive historiis, & chronicis, an integra fides adhiberi debeat, maximè in antiquis? Et vide novissimè Stephanum Gratianum *tom. 5. cap. 893. ex numero 6.*
- Confirmationis, quæ in forma ordinaria, & communi; item & ejus, quæ in forma speciali, atque ex certa scientia expeditur, materia, singulariter, & utiliter explanatur.
- Confirmatio in forma communi, an præstet justam causam præscribendi, tam in terminis *leg. 41. quàm leg. 42. Tauri.* Et etiam postquam evenerit casus reversionis bonorum Regis Henrici ad Regiam Coronam, quia ultimus possessor absque liberis decesserit. p. 278.
- CAP. XC. Ex qualitate à testatore expressa, aut in persona eorum, qui in futurum successuri sunt, vel ex dispositione aliquid habituri, requisita, quemadmodum voluntatis testatoris ejusdem conjectura deduci, atque in casu dubio interpretatio fieri debeat, ut ex qualitate ipsa adjecta declaretur, & etiam aliquando extendatur, aliquando verò restringatur dispositio.
- Qualitas à testatore requisita, quomodo, & quando adesse debeat, ut vocatus possit succedere, & an perseverantiam requiratur, & ab eo, qui in ea se fundat, probari debeat.
- Qualitas etiam adjecta verbo, an intelligatur secundum tempus verbi regulariter, nec antea locum habere possit, quàm dispositio verbi locum habeat.
- Pronominis, *meum, & suum, & mihi,* natura, & quod tempus significet, & an stet demonstrativè, vel restrictivè.
- Legatum relictum, aut dispositio facta pro maritandis, aut pro dotandis virginibus, sive consanguineis, utrum etiam debeatur jam maritatis? Et supra, *cap. 84. numero 40.*
- Legatum dotis, vel pro dote relictum, an sit purum, vel conditionale? & supra, *hoc eodem tract. cap. 55. num. 54.*
- Infertur etiam ad quæstionem, in usu forensi assidue occurrentem; si testator in Capellaniae fundatione dixerit, quod præsentandus, aut nominandus, sit Sacerdos, aut Presbyter, vel quod præsentetur, aut nominetur Capellanus qui celebret Missas; utrum requiratur, quod præsentetur, aut nominetur actu Sacerdos, vel sufficiat, quod intra annum ad Sacerdotium promoveri valeat? & articulus *Fo. del Castiño, Quotid. Contr. Jur. Tom. V.*
- hic, diligentius forsan, & aliter, quàm cæteri Recentiores fecissent; explicatus remanet.
- Fratres, aut Sorores D. Francisci, Tertij Ordinis, an reputentur inter personas Ecclesiasticas; Religiosis etiam, aut his, quæ Religionis statum sumpserint, legatum relictum, utrum debeatur Tertiariis, sive mulieribus Tertij Ordinis sancti Francisci, & sancti Dominici, vulgò, *Beatas,* & his, quæ scripta fuere supra, *cap. 81.* adduntur nonnulla: & Marij Giurbæ locus novè expenditur. Vide etiam novissimè Stephan. Gratian. *tom. 5. cap. 958. n. 25. & quatuor seq. P. Ludov. Molin. tom. 1. disput. 208. col. 1277.*
- Denique, legatum relictum certæ & determinatæ personæ, *si nupsit,* aut *cum nubet,* utrum debeatur ei, si Religionem ingrediatur?
- Quid si generaliter pro virginibus maritandis, atque ita, nullis designatis personis, relictum sit? Et vide omnino in *Additione, hic.*
- Quid si legatum mulieri relinquatur de mille, *si nupsit,* & de centum, *si Religionem ingrediatur,* an si Monasterium ingressa sit, debeantur mille? p. 343.
- CAP. XCI. Ex eadem *cap. præcedentis* materia, & Interpretum placito illo communi, quod habitas, aut qualitas necessaria ad succedendum, præcisè adesse debet eo tempore, quo successio defertur, nec sufficit antea existens, aut postmodum superveniens, cum tempore delatæ successiois intervenire debeat.
- Ex qua infertur ad explicationem, atque resolutionem eorum, quæ D. Ludov. Molin. in dubium excitavit, acriterque & constanter defendit, majoratus scilicet successio, in pendenti, etiam per momentum existere non posse, sed mortuo ultimo possessore, illicò ad proximiorum deferri: & idcirco, eum, qui tempore mortis ultimi possessoris proximior invenitur, irrevocabiler in majoratu succedere debere. Adeò ut si ex post facto nascatur alius, vel superveniat, qui si eo tempore natus fuisset, vel jam natus, haberet tunc qualitatem eam, quam nunc habet, successurus fuisset; successio non sit ab illo avocanda.
- Rursus, per contraventionem, & alienationem rerum majoratus, utrum successio majoratus transeat ad illum, qui tempore alienationis proximior erat, seu ad illum proximiorum, qui postea natus fuit ante mortem ultimi possessoris; idque re integra, vel non integra, aut lite mota, & pendente, vel non pendente.

I N D E X C A P I T U M.

Accurata equidem, & diligens admodum explanatio, & resolutio, quæ novem casus principaliter continet, atque constituit, & nisi ingenti studio, originalique, & proluxa omnium Scribentium lectura, sic perfici non potuisset; prout hic videbitur.

Deinde, si à majoratus successione fuit aliquis exclusus propter aliquam inhabilitatem, vel quia filios non habebat, qui si nati essent, succederent; vel quia alium majoratum possidebat, si postea inhabilitas, aut causa exclusionis cessaverit, vel etiam superveniat, majoratus successione jam acquisita; aut filii nascantur; an ipse, vel filii ejus admitti debeant in præjudicium juris jam alteri quæsitum?

Filia etiam ultimi majoratus possessoris, propter masculum remotiorem semel exclusam, an præferri debeat alteri filiae alterius ultimi possessoris, si masculi, etiam remotiores deficient: ubi Redintegrationis (prout Interpretes enunciant communiter) articulus explicatur.

In fideicommissis quoque, & primogeniis, quàm verum sit, sive qualiter intelligendum vulgatissimum illud Axioma (in cuius applicatione frequentissimè Doctores æquivocè processerunt) quòd scilicet semel exclusus, perpetuò exclusus censetur.

Præterea, foeminae per lineam masculinam descendentes, an admittantur ad successionem fideicommissi, vel majoratus, ad quam vocantur hi, qui per lineam masculinam descendunt: de quo Author metipse, in *commentariis controversiarum libri secundi. cap. 2. per totum.*

Denique, quando agnati masculi perpetuò vocantur, an ipsis deficientibus, foemina agnata admitti debeat, & omnibus masculis cognatis præferri? quod exornatur; sed latius illustratur *infra, cap. 143. §. unico, ex num. 4. cum seq. usque in finem, §.* p. 364.

CAP. XCII. Masculorum vocatio sola, absque aliis conjecturis, an sufficiat ad præsumendum, quòd majoratus institutor consideraverit agnationis rationem? & de contrariis sententiis, atque conjecturis, in eo articulo; & latius *infra, ex cap. 129. cum sequentibus.*

Agnatio etiam, an tunc demum conservata dicatur, quando foemina semper excluditur, & nullo casu admittitur; an verò simul stare possit, quòd disponens agnationem conservare voluerit, & foeminas nihilominus aliquando vocaverit, sive etiam ad certos gradus, & personas agnationem restrinxerit; atque ita, an in una & eadem dispositione, respectu quorumdam

dari, & considerari possit agnatio, aliorum verò respectu non? ubi adducitur communis & recepta Scribentium sententia, quæ distinxit, indefinitè & absolute aliquando agnationem conservari, aliquando verò eam restringi, atque limitari ad certos gradus, vel personas: & pro majori explicatione quinque casus principales distinguendos, atque constituendos duxit Author, quibus absolute, & distinctè magis, quàm antea esset, articulus explicatus manebit.

Rursus, an foeminae, deficientibus omnibus masculis, admittantur ad majoratum, à quo ipsæ exclusæ sunt? De quo latius, atque ex professo magis *infra, cap. 143. §. unico, ex num. 4. usque in finem, §.* Cùm etiam in defectum masculorum vocantur; an succedant foeminae propinquiores gravanti, vel gravato sive majoratus institutori, an ultimo possessori, & de assumpto illo Castrensis, *in cons. 198. lib. 2. Socini quoque senioris, & Cornei contrarietate, & communi illa Interpretum distinctione, de qua per Ludovic. Casanat. in consil. 23. ex numero 6. & vide etiam supra, cap. 91. ex nu. 69. cum sequentibus.* Filiorum quoque appellatione, an, & quando nepotes comprehendantur, & veniant? de quo supra *hoc eod. tract. cap. 66. numero 26. cum seq.*

Denique filiae majores, aut filia major, si in defectum filiorum, & descendentium masculorum vocentur, adjecto pronomine, *meum, tuum, suum*, hoc est, *suceda mi hija mayor*, & ipsa ante delatam successionem, & masculo possessore majoratus vivente, decedat qui absque liberis masculis postmodum moriatur, quis in successione præferri debeat, an filia, vel soror ultimi possessoris, cujus pater etiam in majoratu successit; an filiae defuncti institutoris, filius, vel filia? de quo novè inquiritur; & fundamenta nonnulla expenduntur in favorem descendentium, ex masculo ultimo possessore; atque ex præsumpta voluntate institutoris cessare repræsentationem in hoc casu, contenditur.

Ibidem etiam, an soror ultimi majoratus possessoris, seu frater, dicatur ex linea ejus, ex qua ille fuit. p. 415.

CAP. XCIII. Ex lineæ testatoris, institutorisve majoratus, vel alterius Tertij vocatione, aut substitutione; & cum descendentes ex linea, vel per lineam vocantur; vel linea alicujus ad successionem invitatur; quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio juridica fieri debeat; & an de linea effectiva,

an

INDEX CAPITUM

- an de contentiva, dispositio accipi valeat? Baldique *consil.* 321. *lib.* 2. & 334. *lib.* 3. five Saliceti, *inter consilia Ancharani* 95. prout alij existimant, intelligi debeat.
- Rursus exornantur, atque explicatur, & limitantur utiliter regulæ, & conclusiones generales, quæ in majoratum successione, per manus circumferuntur quotidie, ac maximè illæ, quòd in successione majoratus, primò consideranda est linea, secundò grâdus, tertio sexus, quartò ætas; & quòd Jus primogenituræ non debet exire ex illa linea, in quam semel intravit; & an debeat intelligi respectu descendendum ab ultimo possessore tantum, an verò procedentium ex ea linea, scilicet contentiva? & de nonnullis aliis assidue occurrentibus, & necessariis ad intellectum *capitis primi, de natura successionis feudi*, ubi in effectu hæc ipsa linearum materia exornatur, atque illustratur. Ac etiam inquiritur, an linea masculina dicatur deficere, quando masculi nunquam nascuntur, ut scilicet verbum, *deficere*, verificetur etiam in non natis; & de contrariis sententiis in hoc articulo. Vide etiam in hac materia, Stephanum Gratianum *disceptation. tom.* 3. *cap.* 456. *ex numero* 32. Testator etiam, quando vocat expressè, vel tacitè, genus, familiam, stirpem, posteritatem, domum, cippum, prosapiam, descendendam, proximiores, liberos, aut agnationem, de quibus sentire videatur; & de conjectura, atque interpretatione in proposito, de quo ultimo latius, *cap.* 93. §. 18. ubi vide. p. 441.
- CAP. XCIII. §. I. Ex dispositione, quæ de primogenito loquitur, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat; & de quo, testator sensisse præsumatur; ubi & dubia nonnulla, per Cardinalem Franciscum Manticanam excitata, novè ponderantur; Hispanorumque primogeniis, five vinculis & majoratibus perpetuis, non inutiliter applicantur.
- Primogenitus, an is dicatur, qui tempore successionis est natu major, licèt alius ante eum natus mortuusque sit, aut de medio sublatus. Et vide Valenzuelam Velazquez *conf.* 23. *num.* 17. & 18. *consil.* 83. *ex num.* 16. *conf.* 97. *numero* 20.
- Secundogenitus, mortuo ipso primogenito, an in vero statu primogeniti ita reponatur, ut propriè primogenitus dicatur, an verò impropriè? & de judicio, atque distinctione Authoris in proposito. Et vide Velazquez *ubi supra*.
- Primogenitus, & natu major, an sint idem, si-
 ve differat primogeniti, & majoris natu vocationes?
- Primogeniti filius, an dicatur primogenitus, ad secundo geniti exclusionem?
- Diligens equidem, & memorabilis resolutio, atque explanatio, qua Jacobi Menochij consilia plura explanantur, & maximè *conf.* 95. *lib.* 1. 211. & 220. *lib.* 3. 440. *lib.* 5. 981. *lib.* 10. 1006, 1023, 1082. *lib.* 11. Tiberij Deciani *consil.* 16. *in* 4. *vol.* & 71. *lib.* 3. Joannis Cæphal. *consil.* 190. *lib.* 2. Francisc. Bursat. *consil.* 354. *vol.* 3. Peregrin. *consil.* 38. & 39. *lib.* 1. in medium proferuntur
- Hippolytus Riminaldus *consil.* 544. *per totum, lib.* 5. commendatur, uti speciali nota dignum, & editum super testamento, in quo vocatus fuerat primogenitus, de quo profundè, & latissimè scripsit. Petri Surdi *consil.* 413. *num.* 13. *lib.* 3. & 494. *per totum, lib.* 4. placita in ipsis terminis hujusce disceptationis ponderantur, & ejusdem observationes probantur.
- Antonij denique Galeatij Malvasiæ *consil.* 22. *per totum, lib.* 1. & Joan. Vincent. Honded. *consil.* 70. *per totum, lib.* 2. enucleantur in eodem proposito; & cum major natu, pro tempore existens, vocatus fuerit, an primogeniti descendentes præferri debeant. p. 461.
- §. II. Testator, si factis aliquibus vocationibus, se ideo eam dispositionem facere expresserit ut bona in agnatione perpetuò conserventur, an majoratum perpetuum instituere velle videatur? ubi Ludovici Molinæ locus, & majoratus tacitè instituti conjectura exornatur, & tres casus principales distinguuntur in eo articulo; An fideicommissum perpetuum, & absolutum inducatur inter agnatos, etiam in casu mortis, & unus censeatur vocatus post alium, gradatim, ordine successivo; quando testator expressit, aut tacitè voluit, quòd bona in agnatione permanerent? Petri Surdi traditiones *in consil.* 67. & *in consil.* 96. *lib.* 1. & *in consil.* 443. *lib.* 3. expenduntur; & nonnulla egregiè, & singulariter adnotantur.
- Rursus tacitè instituti majoratus conjecturæ aliæ commemorantur; & inquiritur, fideicommissum an censeatur perpetuum & reale, & impositum rebus, quando testator voluit, bona conservari in agnatione; & horum omnium dilucida & notanda resolutio traditur. p. 474.
- §. III. Ex vocatione primogenitorum proximiorum propriæ familiæ testantis, aut disponentis; aut primogenitorum familiæ simpliciter, vel etiam primogeniti ex ipsa familia; aut cum primogenitis, aut

I N D E X C A P I T U M.

- primogenito propriæ familiæ bona relinquuntur, utrum majoratus perpetuus institutus censeretur debet, tametsi testator non expresserit se facere majoratum? ubi Anchar. *consil.* 27. exornatur, atque illustratur; & Cravetæ *consil.* 161. in eodem proposito explicatur.
- Adducitur quoque Alvari Valasc. *consil.* 121. egregia & notanda resolutio, ut vocati nomine proprio censeantur magis dilecti, quam vocati nomine colectivo, & ideo præferantur etiam proximioribus in gradu.
- Nominatim aliquid fieri quod dicatur, cum vel nomen proprium ex primitur, vel aliis circumstantiis, quibus vice nominis utimur, res designatur.
- Et hujusce conjecturæ, quam Ludov. Molin. perpendit, egregia, & notanda resolutio, atque explanatio traditur. p.482.
- §. IV Testator qui reliquit bona, ut in eis succedatur, servato ordine primogenituræ, an majoratum perpetuum instituere velle censendus sit; tametsi id non expresserit? & de specifica Ludov. Molin. observatione in proposito.
- Quid si dictione, *semper*, & dictione, *perpetuò*, & aliis similibus usus fuerit?
- Quid si primogenituram constituerit?
- Aut si specificè dixerit, quòd bona sint in uno solo possessore?
- Aut bonorum divisionem prohibuerit?
- Vel proximiores de parentelâ vocaverit?
- Aut si mandaverit, bona transire de uno in alium?
- Vel assumi nomen, & insignia suæ familiæ? p.487.
- §. V. Testator si relinquat bona masculis suæ familiæ, ita ut unus eorum, ac proximior succedat, an censeatur inter eos majoratum perpetuum instituere (quæ fuit altera Ludovici Molinæ conjectura, ex qua majoratum perpetuum, tacitè induci voluit.)
- Fideicommissum perpetuum & absolutum an videatur relinquere, qui masculos vocavit; aut voluit, quod bona haberentur à masculis.
- Majoratus perpetui conjecturam an inducere videantur verba *de majori in majorem*, vel *de primogenito in primogenitum*, vel *de hærede in hæredem*, vel *de masculo in masculum*, vel *de descendente in descendente*, & alia similia. p.489.
- §. VI. Majoratum tacitè institutum videri, atque ex conjecturis induci posse, quamvis testator expressè non dixerit, se majoratum instituere, quod Ludovicus Molina *lib.* 1. *cap.* 5. sæpè profitetur; & nonnullis exornatur supra, *hoc eodem tra-*
- ctatu*, *cap.* 8. & 9. & *cap.* 69, quàm verum sit, sive qualiter intelligi, atque explicari debeat? Quæ etiam; sive cujus qualitatis conjecturæ in proposito necessariae sint? Ubi & Antonij Fabri locus insignis in proposito expenditur. Et duabus primis conjecturis, quas Ludovic. Molina consideravit *dicto cap.* 5. *lib.* 1. *ex numer.* 1. usque ad *numer.* 16. breviter explicatis; circa tertiam magis insistit Author, utrum scilicet ex prohibitione alienationis bonorum facta, ea de causa, ut bona perpetuò in familia conserventur, majoratus perpetuò institui conjectura probabilis, & juridica deduci possit? & Ludov. Molinæ placitum, nonnullis considerationibus egregiè illustratur, atque exornatur.
- Articulus etiam ille ita intricatus, & difficilis, prout vulgatus, utrum fideicommissum simplex, absolutum, & perpetuum inter omnes de familia inducatur per prohibitionem alienationis, adjecta ratione, ut bona perpetuò remaneant, aut conserventur in familia; dilucidè admodum, & memorabiliter explicatur.
- Quid etiam si dictio, *perpetuò*, non fuerit expressa, aut alienationis prohibitio ad personas referatur, sive restringatur; & quantum intersit, an prohibitionis verba in rem, & bona; an in personas dirigantur.
- An etiam & quando fideicommissum præsumatur reale, vel personale?
- Denique M. Antonij Peregrini, in materia fideicommissorum observationes nonnullæ, an in Hispanorum primogeniis (attenta eorum perpetuitate, & natura) procedere possint? Ubi horum omnium diligens, & speciali nota digna traditur resolutio, atque explanatio? & Ludovic. ipsius Molinæ traditiones omnes *precitato cap.* 5. relictae, dilucidè, & notabiliter *hic*, & §§. *precedentibus*, atque *subsequent.* enucleantur, atque declarantur. p.491.
- §. VII. In testamento, aut alia dispositione, si inveniantur aliqua verba, quæ majoratus conjecturam præ se ferre videantur; non tamen adeò urgentia, ut ex eis solis possit præcisè majoratus induci, an si simul cum eis concurrat consuetudo in eisdem bonis jure majoratus succedendi per decennium, ex uno, & altero simul, majoratus perpetui conjectura induci possit? & quemadmodum scriptura majoratus ambigua declaretur ex modo, & consuetudine succedendi per decennium, ut in posterum ita succedatur, nec triginta, vel quadraginta annorum præscriptio necessaria sit.

Obfer-

INDEX CAPITUM.

Observantiæ subsequentiæ vim, & effectum maximum esse, pro cujuslibet dispositionis interpretatione, & declaratione; quod permultis exornatur, atque illustratur, quæ in usu forensi frequentissimè occurrunt. p. 507.

§. VIII. Ex conjectura voluntatis, atque præsumpta mente eorum, qui primogenia, sive majoratus instituunt; ex natura etiam primogeniorum ipsorum, & sine in quem diriguntur, utrùm præscriptio in bonis majoratus admittenda sit, necne, in præjudicium successorum; & an immemorialis præscriptio sufficiat?

Immemorialis etiam quæ dicatur, sive quod tempus, & quæ requirat, & quos effectus producat? & de variis attributis, quæ Interpretes nostri communiter immemoriali præscriptioni tribuerunt. Alienatione quoque prohibita, an, & quando præscriptio prohibita censeatur?

Quadraginta annorum præscriptio cum titulo, an & quando æquivalet Immemoriali, sive eundem, quem Immemorialis operetur effectum? & maximè in hac ipsa, in qua versamur, bonorum præscriptionis majoratus materia; tam cum agitur de præscribendis rebus majoratus, in præjudicium successorum, quàm de inducendo, aut conservando majoratu; qui articulus accuratè, & dilucidè, aliter etiam quàm cæteri Recentiores fecissent, explicatus relinquitur; & nonnulla adnotantur, quæ memorabilia sunt & egregia, prout hic videbitur. p. 511.

§. IX. Una linea utrùm possit præscribere successionem, sive ordinem succedendi contra aliam lineam in primogeniis, sive majoratibus Hispaniæ? & de *consil. Socii* 47. *lib. 3.* Modus etiam succedendi à testatore, sive ab institutore majoratus præfixus, num præscriptione contraria immutari, aut alterari valeat?

Brevis equidem, & utilis, atque necessaria resolutio, & explanatio, & de nonnullis, quæ in proposito *hujusce capituli* majori distinctione, atque declinatione indigebant. p. 530.

§. X. Una familia, seu progenies, aut parentela; utrùm possit inter se consuetudinem introducere, ut in ea jure primogenituræ, aut certo modo, sive ordine succedatur? brevis resolutio, atque explanatio. p. 533.

§. XI. Majoratus perpetui conjectura, & institutio utrùm inducatur, inductæ censeatur ex impositione oneris anniversarij perpetui: sive ex eo, quod testator bona aliqua cum eo onere reliquerit, at-

que gravaverit? Ubi tres præcipuæ commemorantur opiniones in hoc proposito; & communis distinctio, quæ apud Pragmaticos obtinuisse videtur, ab Authore probatur, & accuratè magis, quàm antea fuisset, articulus ipse enucleatus, atque explicatus relinquitur. p. 535.

§. XII. Ex clausula, *de gradu in gradum*, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat in testamentis, fideicommissis, & aliis dispositionibus; & de quibus testatorem sensisse præsumendum sit?

Testator, si factis aliquibus vocationibus, dixerit se velle, quòd bona sua in descendentes, vel consanguineos suos deveniant de gradu in gradum; & alienationem eorundem expressè prohibuerit, vel etiam id omiserit, utrùm majoratus tacitè instituti conjectura deduci valeat juridicè, tametsi testator se majoratum facere non expresserit.

Petri Surdi observationes nonnullæ in hac materia, an Hispanorum primogeniis (attenta eorum natura, & sine,) applicari juridicè valeant, necne? & de sententia, atque judicio Authoris in proposito. p. 542.

§. XIII. Proximitas in majoratum successionem, Hispanorumque primogeniis, utrùm respectu ultimi possessoris, an primi majoratus institutoris considerari, atque attendi debeat, eaque tam descendendum, quàm transversalium, eidem ultimo possessori proximiorum favore? & de contrariis opinionibus in proposito, diligentique omnium hucusque Scribentium investigatione, & lectura: quid etiam, si ad favorem familiæ, & descendendum alicujus extranei, majoratus institutus fuerit?

Quid denique, si in defectum descendendum, aut post speciales aliquas vocationes factas, proximiores sibi, vel ex suo genere proximiores, majoratus institutor ad successionem invitaverit? & de nonnullis considerationibus in proposito, ad quas alii Recentiores non ita attendere solent, prout hic videbitur.

Rursus, quod quando testator aliquid disponit favore familiæ, intelligitur de propria, & non de hæredis; quod exornatur. pagina 545.

§. XIV. Majoratus possessore vivente, utrùm quis petere possit, quod declaretur successor post mortem ejus, atque ita actionem proponere, & judicium super futura successionem, quam præterdit, instituire? ubi de materia *leg. 1. C. de fideicommissis, & leg. diffamari. C. de ingenuis*

I N D E X C A P I T U M.

nus manumiss. & an, & quando jus superueniens, pendente iudicio, convalidet illud, & pro fit actori ad victoriam? memorabilis equidem, & egregia resolutio, atque explanatio, qua ingenti studio, & diligentia res hæc peragitur, prout videbitur. p. 553.

§. XV. Suorum appellatione qui continentur, tam in testamentis, & ultimis voluntatibus, quàm in contractibus, & in Hispanorum primogeniis, seu vinctulis, & majoratibus perpetuis.

Testator, si factis, aut non factis aliquibus vocationibus, Joannem, & suos substituerit, sive vocaverit, an majoratum perpetuum instituere velle censendus sit, et si id non expresserit? dubium singulare & necessarium, quod Ludovicus Molin. intactum omnino reliquit; Pelæz autem à Mieres, vel unum tantum verbum scripsit; & latiore explicationem requirit, prout hic adnotatur; & singularis resolutio, atque explanatio traditur. p. 566.

§. XVI. Familiæ, agnationi, cognationi, aut his, qui ex sua familia procedunt, sive agnatis, aut cognatis, cum testator bona sua reliquerit; utrum majoratum perpetuum instituere velle censendus sit, tametsi se majoratum instituere non expresserit, §§. *precedentibus* actum, atque explanatum fuisse: Nunc autem inquiri, *familia* verbum, *agnationis* etiam, & *cognitionis* nomina quid significant, quos contineant, & comprehendant; sive quemadmodum accipiantur tam in fideicommissis, quàm in primogeniis, & majoratibus Hispaniæ? & de permultis, quæ non ita distinctè alii Recentiores attigerant, nec explicaverant; & speciali nota sunt digna, primogeniisque Hispanorum admodum conducibilia. Ibidem etiam, an fœminæ conservent familiam, & memoriam institutoris, ejusque arma, & insignia deferant?

Illegitimi denique, de familia, agnatione, seu cognatione utrùm dicantur, vel non? & arma, & insignia parentum deferre possint. p. 571.

§. XVII. Domus, seu Casatæ nomen quid significet, & an familiam?

Testator quando relinquit fideicommissum, aut primogenium Domui, qui comprehendantur, & veniant appellatione eorum *de Domo*? & an cognati, & fœminæ etiam, an agnati tantum?

Testator si relinquat fideicommissum, aut primogenium Domui suæ, Hispano sermone, *a mi casa*, *ò a los de mi casa*,

ò a los de tal casa, an censendus sit majoratum perpetuum instituere inter omnes, qui ex Domo procedant; tametsi id non expresserit; egregia equidem, & memorabilis resolutio, atque explanatio. p. 581.

§. XVIII. Stirpis, cippi, generis, gentis, generationis, progenici, sobolis, prosapia, parentelæ, parentum, attentium, propinquorum, & conjunctorum appellatione qui continentur? & in fideicommissorum, atque primogeniorum materia, ex conjectura voluntatis, atque communi usu loquendi Hispaniæ, venire, & comprehendi dicantur; sive hæc nomina, quid significant, & quemadmodum accipiantur? communisque Scribentium resolutiones, in terminis juris communis, an Hispanorum primogeniis; vinctulisque, & majoratibus perpetuis convenire, & applicari posse videantur? singularis & notanda resolutio, atque explanatio. Et de verbo ipso *generis*, aut Hispanè, *linaje*, vide omnino *infra*, §. 21. p. 583.

§. XIX. *Consanguineorum* nomen, quid significet, quos comprehendat, & qualiter in fideicommissis, Hispanorumque primogeniis accipi, atque intelligi debeat?

Deinde, *proximorum*, & *proximiorum* appellatione, qui etiam comprehendantur, & veniant?

Testator, qui ad successionem bonorum suorum vocavit consanguineos suos, per verba tractum successivum denotantia, an majoratum perpetuum instituere censendus sit, tametsi id non expresserit? Egregia quidem, & notanda resolutio, atque explanatio. p. 587.

§. XX. Verbum, *de nomine meo*, aut Hispano sermone, *de mi nombre y apellido*, utrum agnationis conjecturam inducat; an verò commune sit agnatis, & cognatis, masculisque & fœminis, & earum descendantibus? & vide, §. *sequenti*, ubi Joannis Garciae observationes nonnullæ in proposito examinantur; & ideò consulto hic omittuntur.

Testator, si factis aliquibus vocationibus, aut etiam non factis, bona sua reliquerit illis *de nomine*, aut *de cognomine suo*, aut dixerit, quod bona sua deveniant, *a los de su nombre y apellido*, an censendus sit majoratum perpetuum instituere, tametsi, id non expresserit? singularis resolutio, atque explanatio; ubi etiam Senatus Valentiaë *decis.* 170. *lib. 2.* memorabiliter enucleatur. p. 591

§. XXI.

INDEX CAPITUM.

§. XXI. Testator, majoratúve institutor, si profiteatur se majoratum ex bonis suis instituere ad conservandum, & perpetuandum suum genus, Hispano sermone, *su linage*, vel pro conservatione, & perpetuitate sui generis, an videatur majoratum agnationis constituere?

Ubi etiam, quid si prohibuerit alienationem bonorum, ut perpetuò illa maneant in consanguinitate, ac lignagio, nec unquam exeant ex eo, an censetur voluisse agnationem suam conservare?

Quid etiam, si deinde vocet masculos, an inducatur repetitio masculinitatis in cæteris gradibus, in quibus filij sunt vocati?

Quid denique si in præmio majoratus, institutor dixerit, quod facit majoratum, ut conservet nomen suum, & vocet masculos, deinde filios, aut descendentes, an inducatur repetitio masculinitatis.

Egregia equidem, & memorabilis resolutio, atque explanatio, in qua Joannis Garcia, Joannis Caphali, Ludovici Molina, Pelæz à Mieres, & aliorum placita nonnulla (ad quæ Recentiores alij non sic animadvertunt) singulariter enucleantur, atque declarantur. p. 593.

§. XXII. *Posterorum*, seu *posteritatis* appellatione, qui contineantur & veniant? & an foeminae, earumque descendentes, si posteris, aut posteritati fideicommissum, aut primogenium sit relictum, vel posteris, aut hi, qui ex posteritate fuerint, ad successionem invitentur?

Et leg. I. §. *fin. ff. de jure immunitatis*, decisio, an, & qualiter procedat? singularis equidem, & distincta resolutio, atque explanatio. p. 598.

CAP. XCIV. Ex his, quæ poenæ nomine in testamentis, vel codicillis scribuntur, vel relinquuntur, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque in casu dubio interpretatio fieri debeat, ut juxta juris regulas, & communes Doctorum sententias procedamus, & dignoscatur quemadmodum poena distinguatur à conditione, & è contra.

Poenæ nomine an licuisset apud Jureconsultos, quorum responsis utimur, sive jure Digestorum legare, etiamsi in eo, quod testator fieri voluit, nulla esset turpitudine; quæ res accuratè, & distinctè peragitur, & nonnulla jura explicantur.

Testator etiam, quemadmodum possit sub conditione, & privationis poena hæredibus suis, successoribus, vel à se vocatis, *Jo. del Castillo, Quotid. Contr. Jur. Tom. V.*

& honoratis, onus quodcunque, aut gravamen imponere, contravenientèque hæreditate aut successione privare; sicque apponere poenam privationis inobedienti ad commodum alterius voluntatem servantis, & de obligatione, qua hæres, aut honoratus adstringitur adimplendi ea, quæ testator disposuit; & quando cadat, & hæreditatem amittat non adimplens onera sibi injuncta? Poena etiam quando incurratur, vel ab ea quis excusetur? & an monitio, seu interpellatio necessaria sit, aut moræ purgatio admittatur?

Voluntas testatorum quemadmodum servanda; & quid, quando lex resistit, aut turpe, impossibile, vel contra bonos mores aliquid continet.

Ademptio, seu translatio in vim poenæ an fieri possit, etiam quando pendet à facto Tertij? Privatio, & amissio hæreditatis an poena sit, idcirco in casu privationis, & poenæ à testatore adjectæ, stricta interpretatio, in quantum potest, fieri debeat; nec à casu, aut personis expressis recedatur.

Rursus de legato ususfructus omnium bonorum, uxori à marito, stantibus filiis legitimis, relictis; & an sustineatur solum in ususfructu Quinti bonorum, nec compensatio æstimationis valoris Quinti fiat? Item de ipso legato ususfructus omnium bonorum, & in casu contraventionis, aut molestiæ ex parte filiorum ipsorum uxori illatæ, de legato Quinti bonorum eidem uxori, in poenam molestiæ, & contraventionis factæ, & an casus iste comprehendatur sub secunda parte & limitatione, aut exceptione *l. unica, C. de iis quæ poenæ nomine*.

Filiis quoque à patre in omnibus bonis hæredibus institutis, si unus eorum gravetur alicui decem singulis annis præstare; & in casu contraventionis, aut non servatæ voluntatis parentis, alij filij meliorentur, an dispositio valeat, nène, & poena dicatur cadere super actu nullo, & invalido? ad Glossam *in l. si patronus, §. patronum, ff. si quis fraudem patroni*.

Gravamen etiam in legitima, an & qualiter sustineatur, quando ultra legitimam pater reliquit, vel melioravit filium.

Deinde multum interesse, an aliquid legibus interdictum sit, vel improbetur ratione turpitudinis, vel etiam ratione publicæ utilitatis principaliter, an favore alicujus personæ, cujus utilitatem lex principaliter inquiratur.



Denique

INDEX CAPITULUM.

Denique casus esse nonnullos, in quibus onerari quis potest plus dare quàm acceperit, sive gravari in plus quàm honoratus fuerit; ubi horum omnium egregia admodum, atque distincta traditur explanatio, & resolutio. p. 600.

CAP. XCV. Ex regula illa, Generi per speciem derogari, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat in casu dubio; Axiomâque, sive documentum prædictum, ad eò inter Doctores usitatum, & assidue ponderatum, ut generi per speciem derogari, per manus circumferatur quotidie, an & quando, sive qualiter, non modò in testatorum dispositionibus, & elogiis, sed etiam in omni alio actu, materia, & dispositione obtinere, & procedere debeat, necne; dilucida admodum, atque utilis, & diligens explanatio, & resolutio. pagina 622.

CAP. XCVI. Hæredum mentio, quemadmodum in testamentis, & ultimis voluntatibus accipiatur, & quibus in casibus ad hæredes sanguinis, sive ad liberos, & descendentes duntaxat restringatur, quando etiam extraneos quoque hæredes complectatur. Deinde, hæredum appellatione, in his casibus, in quibus filij, & descendentes duntaxat veniunt, an necesse sit, quod ipsi hæredes sint cum effectu, & ita concursus utriusque qualitatis requiratur, quod sint filij, & hæredes simul: & de differentia communi inter contractus, sive concessiones inter vivos, & ultimas voluntates, & quid in feudalibus.

Rursus, hæredum appellatione, an omnes hæredes in infinitum comprehendantur, primi scilicet, secundi, & posteriores, idque tam in ultimis voluntatibus, quàm in concessionibus, & dispositionibus inter vivos, & in gratiis, aut beneficiis Principum, quando etiam hæredum mentio ad primos hæredes restringatur; singularis, & distincta resolutio, atque explanatio, in qua de his omnibus, quæ ad propositum attinent, plenius & dilucidè agitur, quàm actum fuerit. *cap. 56. ex num. 24. hujusce tractatus*, ubi etiam in proposito traduntur nonnulla: & articulus ille, in materia substitutionis, & quando testator de propriis hæredibus mentionem fecit, nunquid appellatione hæredis veniat hæres hæredis, melius *ibi*, quàm *hoc loco* elucidatur. Et vide Stephanum Gratianum *tom. 4. cap. 612.*

Hæres etiam, contra factum defuncti an, & quando possit venire?

Ac denique, si legatum fiat alicui de aliqua domo, usque ad decem annos, & quòd postea revertatur ad hæredes, si hæres moriatur ante dictos decem annos, an legatum remaneat liberum penes legatarium, an verò transmittatur in hæredem hæredis. p. 633.

CAP. XCVII. Ex regula, sive ratione uniformis determinationis, & unitatis sermonis, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat in testamentis, & ultimis dispositionibus quibuslibet non modò; sed etiam in omni actu, & materia: ubi Axioma illud, ad eò vulgatum, & assidue allegabile, ut per manus circumferatur quotidie, quod Determinatio una respiciens plura determinabilia, æqualiter, & uniformiter determinat quoad effectum; Aliud etiam simile, & pariter frequens, quod Una & eadem res non debet diverso jure censi; singulariter explanantur? atque illustrantur. p. 647.

CAP. XCVIII. Ex eadem *cap. precedentis* regula, sive æqualis, & uniformis determinationis doctrina, cujus occasione infertur ad nonnulla admodum necessaria; & assidue in praxi occurrentia; num scilicet *Taurina leg. 27.* constitutio, quatenus de substitutione, atque vocatione filiorum naturalium loquitur, restringi debeat duntaxat ad naturales, qui tempore factæ meliorationis nati, conceptive erant, an verò indistinctè intelligenda sit de filiis naturalibus, etiam postmodum natis, aut conceptis: & consequenter, utrum naturales indistinctè præferendi sint (quocunque tempore ipsi nati sint, & successio deferatur) transversalibus, & extraneis, nec hi admitti possint, dum illi extiterint?

Ordo vocationum, & substitutionum, qui *in eadem leg. 27. Tauri* præscribitur, quòd sit præcisus, & substantialis, nec ullo modo præverti, aut alterari possit, & inter descendentes intelligatur, nulla majoris proximitatis habita distinctione, & quod unus solus, aut plures possunt substitui; patri tamen, sive ascendenti, semper electio detur.

Præcisus etiam, & substantialis dicatur, non modò in substitutionibus descendentium legitimorum, sed etiam illegitimorum, & aliorum, qui *in ipsa Taurina lege* enumerantur.

Pater meliorans filium, aut descendentem alium in Tertio bonorum suorum, si in vocationibus, gravaminibus, aut substitutionibus non servaverit ordinem, & for-

INDEX CAPITUM

formam, quæ in dicta leg. 27. Tauri statuitur, utrum melioratio in totum corruere debeat; an verò reducenda sit ad ordinem, & formam, in ea lege præscriptam.

De quo dubio, longa serie, atque ex proposito egit Author metipse in commentariis libri secundi, cap. 7. per totum. Nunc autem adduntur nonnulla, & retenta eadem distinctione, *ibidem* tradita (quæ apud Pragmaticos post illius capituli editionem obtinuit) novus casus consideratur, qui in ipso cap. 7. non modò indecisus, sed nec excitatus, nec etiam excogitatus fuerat.

An scilicet, si facta melioratione per viam vinculi, aut majoratus perpetui, filij, & descendentes omnes illegitimi, expressè, specificèque à successione excludantur, & duntaxat legitimi admittantur, atque ita naturales quoque exclusio comprehendat; ipsamet distinctio tradita dicto capite septimo libri secundi, admitti debeat, necne, ut vocationes scilicet suppleantur, & reducantur ad ordinem præcitata l. Tauri 27. an verò, casu eveniente, quo filius, aut descendens naturalis erat successurus, dispositio vitietur, ut bona in ultimo possessore libera remaneant, & majoratus finiatur.

Ubi inter omissionem eorum, qui juxta ordinem legis illius vocari debuerunt, & eorumdem exclusionem, considerabilem esse videri differentię rationem; & negari non posse, quin articulus difficultatem habeat, egregiè adnotatur, atque observatur; & Andr. Anguli, Pelaez à Mieres, Azevedi, & Joannis Parladorij placitis ad examen, & accuratam disputationem redactis, insignis & notanda traditur hujusce articuli explanatio, & resolutio, prout hic videbitur.

Denique, an, & quando, actus, qui non valet ut agitur, valere debeat omni meliori modo, quo possit; utiliter explicatur, p. 652.

CAP. XCIX. A successione primogenij, aut vinculi perpetui, ex tertia bonorum parte, atque ex facultate leg. 27. Tauri, facti, Monachos, Religiosos, Moniales, Clericos, foeminas, & alios descendentes, aliquam qualitatem habentes, non posse excludi, & ordinem illius legis præcisè servandum, etiam horum respectu; dum Interpretes hujus Regni unanimiter, generaliter tamen, statuerunt, nec ulterius progrediuntur, ut explicent, quid inde in casu exclusionis eorumdem fieri
Jo. del Castillo, Quotid. Contr. Jur. Tom. V.

debeat; quemadmodum accipi, intelligique debeant, an scilicet ut dispositio eateenus duret, quatenus vocationes, & substitutiones utiliter, secundum formam ejus legis factæ fuerint, & ex tunc dispositio vitietur, bonaque libera remaneant; an verò, ut exclusionem non obstante, finitis omnibus aliis descendentes, five etiam inter eos, suo loco, & gradu, ipsimet descendentes exclusi succedere debeant, sicque majoratus firmiter subsistat, & conservetur? egregia equidem, memorabilis, atque notanda indagatio, & resolutio, prout hic videbitur. p. 663.

CAP. C. Ex ipsamet cap. duorum præcedentium materia, & leg. 27. Tauri, constitutione, ubi principaliter ad examen, & disputationem adducitur, admissa sententia, & resolutione illa, quod scilicet Religiosi, Clerici, foeminae, naturales, & alij descendentes, ob aliquam qualitatem exclusi, ad majoratum factum ex tertia bonorum parte, atque ex facultate dictæ Taurinæ legis, non obstante exclusionem, admittantur; an in Tertio tantum (quod extraneorum respectu legitima est) an etiam in Quinto & Tertio simul succedere debeant, si Tertium & Quintum, aut remanens Quinti simul vinculum fuerit, ita quod Quintum ipsum à Tertio separari non valeat, sed utrumque unitum, & vinculatum, perpetuò conservari; singularis equidem, & vera resolutio, atque explanatio, qua Andr. Anguli in eo dubio, an in Quinto substitutionum servandus sit ordo dictæ legis Tauri 27. placita, & observationes concludenter, & verè convincuntur, & confutantur; atque ex natura ipsa primogeniorum, præsumpta institutoris majoratus mente, qui utrumque simul vincula vit; & utrumque simul vinculatum manere cavit, contrarium constanter defenditur. Et vide infra, cap. 128. num. 21. 22. & 23. p. 673.

CAP. CI. Ex arbitrio, & desiderio viventium, ad interpretandam ultimam voluntatem morientium quamcunque, quemadmodum conjectura voluntatis valeat deduci in casu dubio; & communis allegatio l. quoniam desiderabilia, C. de naturalibus liberis, an generaliter procedat, prout communis Doctorum sententia intelligit, an duntaxat in specie, *ibidem* proposita? quod breviter explicatur, & Simonis de Prætis placitum confutatur, p. 680.

INDEX CAPITUM

CAP. CII. Ex opinione testatoris, quem admodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat, ut non secundum veritatem, sed secundum testatoris opinionem, in casu dubio procedatur; veritasve opinioni, & è contra opinio veritati, quando præferatur; idque cum explicatione jurium quorundam, brevis, & distincta explanatio, atque resolutio, sed memorabilis quidem, & notanda, prout hic videbitur; ubi & de impossibilibus conditionibus, quæ testamentis adjiciuntur, dicuntur nonnulla. p. 682.

CAP. CIII. Ex filiis naturalibus tantum & non legitimis, si extent filij, seu nepotes, vel alij descendentes legitimi, atque ex legitimo matrimonio procreati, an admittantur ad successionem majoratus, ad quam filij ipsi naturales non admitterentur, si viverent; quia filij legitimi tantum invitantur, vel illegitimi excluduntur; & consequenter, si filius sit inhabilis ad succedendum, an idem censeatur de ejus descendentibus, etiam legitimis; ubi articulus hic ex professo, atque egregie admodum explanatur, & assumptum illud vulgatum, quod exclusa, vel succedere prohibita una persona, censeantur omnes exclusæ, quæ ab ea descendunt, exornatur, atque illustratur utiliter. Et Joannis Cephalii in *consil.* 103. *lib.* 1, Francisc. Beccij in *consil.* 138. *lib.* 2. Guid. Panciroli in *consil.* 169. *lib.* 1. placita, & resolutiones diligenter adeò, atque accuratè subvertuntur, ut Cardinalis Francisci Mantice contraria sententia in tuto manere videatur; nec *leg. finalis*, *C. de naturalibus liberis*, decisio subverti in futurum valeat, prout hic demonstratur. p. 688.

CAP. CIV. Filiationis, & probationis ejus materia (quæ conjecturalis est, & præsumpta) dilucidè, & distinctè explicatur; commemorantur etiam, atque exornantur conjecturæ omnes, & præsumptiones, ex quibus in quasi possessione filiationis qui constituitur, sive filiatio metipsa subsistit, & probatur.

Exactè etiam explanatur articulus ille, an filius existens in quasi possessione filiationis, teneatur probare se filium; sive an filiationis quasi possessio sufficiat in præparatoriis judiciis, & in judiciis summariis, ad transferendum onus probandi in adversarium; non verò sufficiat, quando sumus in petitorio, id est, in decisoriis, vel in utroque sufficere debeat? Deinde, *l. miles, §. defuncto, ff. ad legem Juliam de adul-*

ter. præsumptio illa vehemens, filium domi natum, ex viro, & uxore, scientibus vicinis, præsumi legitimum, quamvis adulterium mater commiserit; exornatur quamplurimis.

Rursus, an filiatio probetur ex conjectura desumpta à sententia lata super ea; ubi distinguitur, quando sententia fuit lata principaliter super ipsa filiationis causa, & quando in judicio aliquo possessorio, vel præstationis alimentorum, aut simili.

Præterea, si filiationis causa principaliter in judicio deducta non fuerit, nec super ipsa actum principaliter, nec etiam pronunciatum, sed super alimentis, ab eo, qui se filium, aut fratrem contendit, lis contestetur; in omnibus tamen ita plenariè procedatur, ac si filiationis causa deducta fuisset, an sententia ipsa super alimentis, jus faciat quoad omnes, sive obstet in judicio plenario, si ipse, qui in alimentorum lite obtinuit, super petitorio, aut majoratus successionem litem moverit.

De exceptione etiam rei judicatæ, & quando illa obstet, necne; & de tribus illis, quæ copulativè requiruntur, identitate scilicet causæ, personarum, & rerum, idque utiliter explicatur.

An etiam sententia lata in judicio summario, noccat, & obstet in plenario, quando plenè, & solemniter fuit cognitum, tam respectu Judicis, quam partium? quod exornatur.

Sed & acta facta in uno judicio probationes etiam in summario judicio factæ, nunquid in alio judicio, sive in plenario fidem faciant, quando plenariè fuit cognitum, & plenariæ probationes factæ.

Pro alimentis quoque, mortuo patre, an contra tertium bonorum possessorem agi possit? Et quid contra singularem rei successorem, & donatarium omnium bonorum? Et quid contra hæredes ejus, qui alimenta præstabat, de jurè præstare tenebatur?

Frater etiam majoratus possessor, quod non teneatur alere, nec dotare fratres spurios, seu sorores spurias (quod Ludov. Molina contendit) an verum sit, & de explicatione ipsius duobus in locis, & Petri Surdi sententia contraria, confutata,

Denique, spurium an alere teneantur avus, & alij ascendentes ex parte patris? & de intellectu *l. 5. tit. 19. part. 4.* p. 698.

CAP. CV. Filij legitimi & de legitimo matrimonio procreati, cum ad successionem majoratus vocantur, utrum filij nati ex matri-

I N D E X C A P I T U M.

- matrimonio, super cujus radice Romanus Pontifex dispensavit, admittantur, admissiſque ex præſumpta inſtitutoris voluntate cenſeantur; & conſequenter, an qualitate ea legitimationis, ſatiſfiat, atque conjeſtura juridica ſatiſfactum videri debeat clauſulæ prædictæ, qua ad eum modum vocationes, & ſubſtitutiones concipiuntur.
- Deinde, cum Romanus Pontifex in radice matrimonij, irritè contracti, diſpenſat; an efficere poſſit, diſpenſationem retrotrahi, tanquam ſi à principio tale impedimentum non adfuisset; & quòd legitimationo, etiam extra loca Eccleſiæ, quoad bona temporalia, fideicommiſſorumque, & primogeniorum ſucceſſiones, etiam in præjudicium tertij, ſuum effectum forſtatur?
- Præterea, Judex aliàs incompetens, ſive etiam incapax, an ratione incidentiæ competens fiat.
- Denique, legitimationis cauſa, quando principaliter tractata fuit coram judice Eccleſiaſtico; & declaratur, aliquem eſſe legitimum; & is deinde coram ſeculari agat ad ſucceſſionem bonorum, an ei rei judicatæ auctoritas proficiat, ut ipſius exceptione ſe tueri poſſit, quemadmodum ei obſtabit exceptio rei judicatæ, id eſt, illegitimitatis, ſi declaratum fuit, eum eſſe illegitimum: ubi text. *in cap. tuam, de ordine cognitionum*, illuſtratur, & articulus hic, accuratè magis, quàm antea fuiſſet, explicatur. p. 718.
- CAP. CVI. Filij legitimated per reſcriptum, & gratiam Principis, an, & quando ex præſumpta teſtatoris voluntate, atque ex conjeſturis deficere faciant conditionem; atque ita ſubſtitutionem excludant, vel non.
- An etiam, filiis legitimis deficientibus, ad majoratus ſucceſſionem, ex conjeſtura quoque voluntatis admitti valeant, admiſſiſque, & vocati cenſeantur; & de opinione Ludovici Molinæ, quæ dilucidè, & ſingulariter explicatur; & articulus ſubſtituti, originali Scribentium omnium lectura, ingentique ſtudio explanatur.
- Legitimationis denique materia quoad primogeniorum ſucceſſionem? & juri acquirendo, ſive acquireto ſubſtitutorum, aut vocatorum, an, & quando derogare valeat Princeps, ſive non? breviter, & diſtinctè explicata: & *ibidem* Ludovic. Molinæ conſuſiones, atque obſervationes probatæ, & exornatæ.
- Et vide *ad finem capituli, in Additione*. pagina 733.
- CAP. CVII. Conjeſtura, & præſumptio; quomodo, & quando ducatur de tempore ad tempus.
- Ex factis etiam, geſtiſque, quemadmodum conjeſtura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat.
- Et quàm verum ſit, factis, ſicut verbis voluntatem declarari; imò facta potent eſſe, quàm verba, ut effectum ipſum, & voluntatem oſtendant; quod exornatur, atque explicatur.
- Rurſus, *leg. ſcimus, §. cum autem, l. ſi quando, §. generaliter, & §. illud, l. quoniam in prioribus, Cod. de inoffic. teſtament. l. 11. tit. 4. part. 6.* materia, & decifio exornatur, atque illuſtratur permultis, quæ admodum utilia ſunt, & in praxi occurrunt aſſiduè.
- Et præmaximè illud inquiritur, an ſtatutum *in dict. §. & generaliter*, in gravamine quantitatis, procedat etiam in alio gravamine, & onere quocunque Legitimis impoſito.
- Et per conſequens, per factum agnationis, aut approbationem ſimplicem judicij parentis, aut ſi ſe bonis immiſcet, non videatur filius gravamini ipſi conſentire, ſed expreſſus, atque ſpecificus conſenſus requiratur; etiam, quando plus legitima relictum eſt. Et idem, ſi in Tertio & Quinto bonorum parentis melioratus fuerit, cum gravamine tamen, ut legitimam ſimul cum eo vinculatam habeat.
- Deinde, legitimæ gravamen, an in quantitate, an in modo, qualitate ſcilicet, aut onere reſtutionis, vinculi, vel alterius apponatur, quantum interſit; & taciturnitas filij ejuſdem gravati, aut hæredum ejus, per ſpatium triginta annorum, de jure communi, vel viginti, poſt editam *l. 61. Tauri* conſtutionem, an eiſdem præjudicet, ſive qualiter materia hæc explicari, atque diſtingui debeat, ut in tuto eatur, nec diverſæ, contrariæque Doctorum ſententiæ in propoſito nos decipere poſſint, cum adeò conſuſè tradantur.
- Inde & conſequenter, an privilegium conſeſſum filio, impugnandi paternum teſtamentum, ratione gravaminis injuncti legitimæ ipſius, ſit perſonale, an verò ad hæredes tranſmittatur? & de contrariis ſententiis in hoc articulo.
- Filius quoque in Tertio & Quinto melioratus, & in legitima gravatus, ſi Quintum per

INDEX CAPITUM.

- per tempus vite sue possederit, & postmodum ipse, aut hæredes ejus gravamini non consenserint, an ex fructibus Quinti ipsius teneantur supplere, & conficere quantitatem Tertij, ut voluntas disponentis, meliori, quo possit, modo fervetur.
- Ex consensu denique filij; an legitimæ onus, & gravamen possit imponi, atque ita ex legitima ipsa, & aliis bonis vinculum, seu majoratus institui.
- Et quàm verum sit, quod gravamini legitimæ, causativè tenebitur filius consensum præstare, si Tertio, & Quinto, aut bonis ultra legitimam relictis frui velit.
- Ubi horum omnium diligens, & notanda traditur explanatio, atque resolutio. Et vide etiam tradita suprâ, *hoc eodem tractatu cap. 64. & 76.* p. 748.
- CAP. CVIII. Testatoris dubia, aut obscura, seu ambigua voluntas; an declarationem, atque interpretationem recipiat ex scriptis, & prolatis in testamento nullo, & invalido, sive etiam imperfecto, vel revocato, quàmque efficax sit conjectura, & præsumptio, quæ ex actu nullo & invalido deducitur, ut ex ea possit ultima voluntas, seu dispositio quæcumque interpretari, seu declarari; ubi vulgatum illud Doctorum assumptum, quod ex *l. ult. ff. de rebus eorum*: deduxerunt communiter; voluntatem scilicet testatoris colligi ex actu etiam nullo & invalido; exornatur atque illustratur nonnullis.
- Ibidem quoque, qualitas posita in primo testamento, an, & quando præsumatur repetita in secundo.
- Quando etiam in codicillis. Et vide infrâ, *cap. 117.* p. 783.
- CAP. CIX. Conditio duplex, suspensiva, & resolutiva, & quæ sit utriusque natura, virtus, vis, & effectus; item & earum exempla.
- Voluntatis testatoris conjectura deduci, atque interpretatio fieri, quemadmodum possit; ac debeat, quando resolutiva conditio, seu etiam suspensiva apponitur.
- Et an sit in proposito differentia inter contractus, & ultimas voluntates; sive in ultimis voluntatibus conditio apposita resolutioni, an faciat dispositionem conditionalem?
- Ad cognoscendum etiam, an conditio sit suspensiva, vel resolutiva, quæ distinctio adhiberi soleat communiter.
- Deinde, cum conditio suspensiva apponitur in contractu, sive actu inter vi-
- vos, qui geritur; an discedere, sive pœnitere liceat, conditione pendente, an eventus expectari debeat.
- Ubi infertur ad meliorationes tertiarum, & quintarum partis bonorum, quas parentes facere solent, sive etiam assignationes, aut incorporationes bonorum, sub conditione suspensiva, aut conditione ipsa pendente revocari possint.
- Contractus denique, aut donationes, quæ ex causa, aut respectu matrimonij fiunt, an, & quatenus revocationem admittant, dum matrimonium non contrahitur; & de materia *l. 17. & 44. Tauri*, ubi horum omnium egregia, & notanda resolutio traditur. De conditionali autem, & de modali dispositione, & his, quæ ad eam materiam spectant, nihil *hoc cap.* attingit Author, quoniam suprâ *cap. 554 & seqq. hujus tractatus*, disceptatio ea suscipitur, & dilucidè explicatur. p. 788.
- CAP. CX. Ex eo, quod plures, simul instituti, aut substituti fuerint, quemadmodum conjectura voluntatis deduci, atque interpretatio fieri debeat, ut scilicet vocati intelligantur simul & semel, ut æqualiter, & eodem succedant tempore, an verò ordine successivo. Item ordo successivus cum locum obtinet, quemadmodum accipi debeat, an per vulgarem, an per fideicommissariam substitutionem; & quid in vinculis perpetuis, & Hispanorum primogeniis? ubi quò dilucidè, & distinctè magis procedatur, tria constituuntur atque distinguuntur hujusce disputationis capita; Primum, quando filius testatoris, ejusdemque filij, unâ cum ipsorum patre vocantur; & tunc attendenda decisio legum hujus Regni, atque ex his, quæ D. Franciscus Sarmientus, & Anton. Faber, egregiè, & subtiliter considerarunt; dubium novum excitatur, quod ex consideratione Authoris procedit, & Pragmaticis utile esse potest; an filij, unâ cum eorum patre instituti, ultra legitimam patris ipsius, simul cum eo concurrant, melioratiquè ab avo statim videantur, qui expressè meliorari potuerunt ex eadem, novâque legum *Tauri* constitutione. Secundum caput est, cum testator instituit fratrem, & ejus filios. Tertium, quando testator instituit, vel substituit penitus extraneum, & ejus filios; & inde ad alios, pluresque casus infertur, & diligens, atque notanda resolutio, & explanatio traditur, prout hic videbitur.

Rursus,

INDEX CAPITUM.

- Rursus, ad examen, & disputationem aliud reducitur, si spurius filius, hæres sit scriptus à patre, & majoratus instituat perpetuus, sive fideicommissum relinquatur, fideicommissariæve substitutio fiat, an respectu aliorum vocatorum, majoratus ipse, aut fideicommissum, vel substitutio (quæcunque illa sit) conserveatur, an verò prima vocatione, aut primo gradu, vel institutione filij spurij vitata (quæ de jure improbat) ceteri quoque gradus, & substitutiones vitentur, & quid hodie de jure hujus Regni, attenda nova constitutione *l. 1. tit. 4. lib. 5. nova collection. Regiæ*; quod dilucidè, & notanter explicatur, & leges nonnullæ *Partite*, quæ de spurii sermonem faciunt enucleantur.
- Explicatur etiam, an substitutio pupillaris evanescat, rupto testamento ex causâ præteritionis, vel exhæredationis.
- Accessorium etiam quando requirat, ut principale, cui accedit, valeat. Et materia *l. 3. §. fin. ff. de liber. & posthum*, suscitatur atque exornatur. p. 801.
- CAP. CXI. Ex his, quæ in articulo mortis laborans, testator dixit, vel disposuit, vel scripta reliquit, atque ex salutis æternæ memoria & desiderio; & confessione, quæ emanavit in extremis, quàm efficax, sive qualis ad ultimam quamcunque voluntatem conjecturandam, & interpretandam, præsumptio, & conjectura deduci valeat, & an ea in dubio, quæ disponentis animæ magis faveat; an etiam, ut stet, vel non, confessioni ipsius, in articulo mortis emissæ.
- Deinde, an confessio facta in testamento in favorem alterius, sit obligatoria, seu probet verum debitum, vel saltem sustineatur in vim legati.
- An etiam confessio testatoris de minori summa, quàm sibi debeatur, relevet debitorem, probato errore.
- Et si facta sit de recepta pecunia, aut de dote numerata, an non numeratæ pecuniæ, seu dotis exceptionem excludat? ubi & tituli *Cod. de non numerata pecunia*, & *C. de dote cauta non numerata*, & *l. 2. §. circa. ff. de doli mali*, & *met. except.* exornantur nonnullis.
- Rursus, scripturæ defuncti an major adhiberi debeat fides, quàm viventis (quod multi non dubitarunt asserere) sed nunc explicatur, atque temperatur.
- Quid etiam, quando in fraudem legis, vel in præjudicium juris Tertij, aut legitimæ filii debitæ confessio redundat.
- De assertionem quoque offensi, aut vulnerati in articulo mortis contra aliquem, & de ejusdem, aut etiam socij criminis exculpatione.
- Ubi & de assertionem, seu confessionem testis, aut notarij, qui in articulo mortis fatetur, falsum se deposuisse, aut scripsisse, & de judice asserente, se iniquam protulisse sententiam.
- Præterea, matrimonium in articulo mortis contractum, an de jure validum, firmumque reputetur, & filios naturales, antea natos, legitimos efficiat.
- Legitimati etiam per hujusmodi matrimonium, an excludat substitutum, nec fraus inde præsumi debeat.
- Quid autem, si aliunde in fraudem substituti, matrimonium fuisse contractum, probetur; ubi Recentiorum opinio magis probatur; & D. Ludov. Molinæ (Viri aliàs præstantissimi, & cruditissimi) placita in proposito non recipiuntur. p. 824.
- CAP. CXII. Majoratus ultimo possessore defuncto, sive aliàs ejusdem successione vacante, utrùm possit sequens successor nolle acquirere aut repudiare eum, in fraudem fisci aut creditorum suorum; & *Taurina l. 45.* constitutum, num id impediatur.
- Tituli, *ff. quæ in fraudem creditor. facta sunt, ut restit.* & *Cod. de revocand. his, quæ in fraudem creditor.* ut locum habeant, quæ requirantur; & an pertineant ad eos tantum, qui diminuunt de matrimonio suo, non ad eos, qui id agunt ne acquirant, aut qui acquirere nolunt? ubi *l. qui autem 6. illius tit.* cum similibus, decisio exornatur permultis.
- Et infertur ad parentes, & filios etiam; ad uxorem & maritum; ad Prælatum, & alios qui hereditatem aut legatum repudiant, vel lucra, quæ ex lege obveniunt, nolunt acquirere, cum id tendat in præjudicium alterius.
- Debitor in quærendis, an præjudicare possit creditori, etiam hypothecario, & de opinione Ancharani, & sequacium.
- Legitimam, & supplementum legitimæ, an possit filius remittere, aut nolle acquirere in præjudicium creditorum suorum, etiam eorum, qui bona ipsius habeant hypothecata.
- Legatum etiam, & hæreditas, an in præjudicium creditorum repudiari possit.
- Et jus adcundi, an dicatur esse in bonis debitoris, necne.
- Trebellianica quoque, & Falcidia in præjudicium creditorum num remitti possit.

Hæres

INDEX CAPITUM.

Hæres etiam, ante casum, vel tempus fideicommissi, utrùm possit restituere hæreditatem fideicommissario cum fructibus in creditorum præjudicium.

Et de patre, aut marito, qui in damnum legitimæ aliorum filiorum aut medietatis lucrorum uxoris, ante tempus majoratum restituit.

Idque ad explicationem *l. patrem 19. & l. debitorem 20. ff. quæ in fraud. cred.*

Denique proponitur contrarietas *l. cum quidam, & l. in fraudem, ff. de jure fisci*; & inquiritur, num reus criminis ante, & post sententiam condemnatoriam, possit repudiare legatum, hæreditatem, vel alia lucra sibi delata; & in fisco an aliquid speciale consideretur in proposito.

Et horum omnium utilis, & diligens traditur resolutio, atque explanatio, prout hic videbitur.

